MASTER NEGATIVE

NO. 93-81335-4

AUTHOR:

KAHLE, CAROLUS

TITLE:

DE PLUTARCHI RATIONE DIALOGORUM...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1912

Master Negative #

93-81335-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kahle, Carolus: 1888- De Plutarchi ratione dialogorum componendorum. Gottingae 1912: Dieterich. 113 S. 8°
Göttingen, Phil. Diss. v. 14. Dez. 1912, Ref. Pohlenz, Leo
[Geb. 2. Juni 88 Stade; Wohnort: Stade; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Stade Reife O. 06; Studium: Göttingen 2, Tübingen 2, Berlin 1, Göttingen 3 S.; Rig. 13. Dez. 11.] [U 12. 5435

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS James
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

(Plutarch Criticism) no. 2

DE PLVTARCHI RATIONE DIALOGORVM COMPONENDORVM.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLVS KAHLE

STADENSIS.

GOTTINGAE

APVD DIETERICHIVM

MCMXII

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt
M. Pohlenz et F. Leo.

Examen rigorosum habitum est Id. Dec. a. MCMXI.

PARENTIBVS
SACRVM.

I. DE DIALOGIS IN UNIVERSUM DISPUTATUR.

Dialogorum est problemata sive nova sive saepius tractata illustrare; quaestionem absolvi necesse non est, sed ad finem quendam eam perduci oportet; denique ii qui colloquuntur eius animi esse debent, ut ad consensionem pervenire possint neque in sententia contraria semper perseverent.

Ubi saepius rebus isdem in quaestionem vocatis et diligenter tractatis non ad eundem finem perventum est, fieri non potest, quin de eadem re complures sententiae exsistant. Quod ubi factum est, non iam Socratica Platonicorum dialogorum ratione verum indagari potest, sed id maxime est agendum, ut inter diversas opiniones diiudicetur [1]). Id quod fiebat fere inde ab Aristotelis temporibus. Itaque inde diversae sententiae perpetua oratione pronuntiabantur in dialogis, princeps refutabat et veram opponebat; sic apud Aristotelem, Ciceronem, Plutarchum agitur.

Plutarchus in dialogorum compositione cum rhetorum exercitationes [2]) secutus est, quas adulescens frequentaverat, tum Platonicos dialogos imitandos sibi proposuit [3]), ut summam doctrinae a Platone petebat. In dialogorum autem Plutarcheorum formam atque artem adhuc nondum diligenter inquisitum est; nam quae Hirzel affert, ea

1) de qua re optime disseruit R. Hirzel, Der Dialog I 274 sqq.
2) Hirzel II 43. 3) II 148. 213.

maximam partem non tam ad formam quam ad argumenta pertinent, et Schlottmann[1]) nihil demonstrat nisi „Plutarchum diversissimas dialogi formas adhibuisse“. Uti tamen possum, cum de hac re agam, iis quae Hubert[2]), ubi Amatorium solum tractabat, protulit.

Nihil autem mea intererit, quibus temporibus quo ordine Plutarchus singulos dialogos conscripserit; nam neque diversitates formarum sunt tantae, ut ex iis ordinem constituere audeam et verisimillimum est Plutarchum vix ante annum 96 dialogos condere coepisse, ergo intervallo non ita magno interposito plurimos scripsisse.

Ut brevitati studeam his utar notis:

de tuenda sanitate	= *san*,
convivium VII sapientium	= *conv*,
de E apud Delphos	= *de E*,
de Pythiae oraculis	= *Pyth*,
de defectu oraculorum	= *def*,
de cohibenda ira	= *coh*,
de sera numinis vindicta	= *vind*,
de Socratis genio	= *gen*,
quaestiones convivales	= *qu*,
amatorius	= *amat*,
de facie in orbe lunae	= *fac*,
de sollertia animalium	= *soll*,
brutane ratione uti (Gryllus)	= *Gry*,
de communibus notitiis	= *not*,
ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicurum	= *suav*,
adversus Coloten	= *Col.*

1) H. Schlottmann, ars dialogorum componendorum, quas vicissitudines apud Graecos et Romanos subierit. Diss. Rostock 1889.

2) C. Hubert, de Plutarchi Amatorio. Diss. Berlin. 1903.

1. De scaena dialogorum.

Ut fabula, ut drama, ita dialogus scaenam sibi postulat. Scaenae certae descriptio efficit, ut facilius putemus sermonis habiti imaginem nobis proponi, atque multi scriptores scaenam talem elegerunt et descripserunt, quae dialogo colorem vere poeticum afferret, quae optime cum re proposita consentiret atque sic ad quaestionem tractandam aliquid valeret, id quod Platonem praeter alios dialogos maxime in Phaedro fecisse nemo nescit.

Quomodo Plutarchus agit? Cum de loco quodam ipso sermo instituitur, facere non potest auctor, quin scaenam describat; tum facile eo progrediebatur, ut dialogum in hoc ipso loco haberi fingeret (*Pyth*, *qu*. II 6 saepe). Sed id vix ad illud quod supra dixi pertineret; magis illuc spectat, quod dialogi Pythici qui dicuntur ubi non iam de loco ipso colloquuntur, Delphis habiti sunt: cum de E Delphico colloquuntur, id E ipsum ante templum sedentibus ob oculos versatur; de Pythiae oraculis collocuturi ante templum considunt (p. 402 C)[1]); etiam *def* 412 F Plutarchus scaenam cum sermone consentire indicat (λόγον ὃς δὴ προσπέπτωκεν οἰκεῖος ὢν τοῦ τόπου), sed ob eam tantum rem loci proprius est sermo, quod Delphis versantur, curia autem Cnidiorum in qua illi a templo ipso progressi considunt (412 D), ad sermonem de oraculis nihil pertinet. Scaenam aptissimam Plutarchus etiam in amatorio elegit: 748 F ἐν Ἑλικῶνι παρὰ ταῖς Μούσαις τὰ Ἐρωτικὰ Θεσπιέων ἀγόντων. Sed tamen hic ipse dialogus nos docet Plutarchum non vim et colorem poeticum hac re augere voluisse, nam aperte recusat Platonis Phaedrum eiusque imitatores sequi: 749 A: ἄφελε τοῦ λόγου ἐποποιῶν τε λειμῶνας . . . καὶ ὅσ' ἄλλα τοιούτων τόπων ἐπιλαβόμενοι γλίχονται τὸν Πλάτωνος Ἰλισσὸν . . .[2]).

1) Hic Plutarchus iam modum paululum excedit, cum scaena diligenter descripta aperte dicat (402 C): ὅτι καὶ ὁ τόπος τῆς ἀπορίας συνεπιλαμβάνεται τῷ ξένῳ.

2) Non Platonem ipsum, sed imitatores aggreditur. Platonicae

Plutarchus igitur scaenam tali modo poetice describere recusat, immo actione et sermone congruentibus animos nostros movere studet (749 A, cf. p. 51), sed scaena sermoni apta si in promptu erat ut Delphi de Delphorum rebus agenti non invitus utebatur. Itaque magis ut historiarum vel rerum gestarum scriptor quam ut poeta res illas affert velut etiam in quaestionibus conviv. persaepe addit, quis amicos convivio acceperit.

Locum quamquam saepius significat, tamen id eius non multum interfuisse facile videmus dialogum de genio Socratis inspicientes. Nam ubi viri versentur, sero intellegimus; cum primo apud Simmiam, de quo paulo ante dixerat Plutarchus, esse existimari possint (576 CD), postea in itinere esse videntur (577 B) et p. 578 C tandem eos ad Simmiam ire apparet. Et in libro de sera vind. vix cognosci potest sermonem Delphis haberi, nam nihil dicitur nisi τουτὶ τὸ ἱερὸν (cap. 7) et τουτονὶ τὸν ἐνταυθοῖ θεὸν ἡμέτερον (cap. 17). Id unum de scaena addam, quod Hirzel iam explicavit, sermonem iustum saepe non antea exordiri quam ambulandi finis factus sit amicique considerint (cf. Pythicos dialogos)[1].

Etiam magis quam scaena negleguntur a Plutarcho tempora, diei vel anni tempora dico quibus sermo habetur. Nam Plato et Cicero saepe sermonem finiri faciunt, quia vesper adsit; Plutarchus autem non modo nunquam talibus causis utitur, sed etiam inepte semel adesse vesperum addit in *Pyth.* initio, cum Philino etsi vesper iam adest (*Pyth.* 1, p. 394 D: ἑσπέραν ἐποιήσατε βαθεῖαν) longus sermo antea habitus enarrandus sit.

Plutarchus etsi locum temporaque saepe non satis respicit dialogique vim illo modo augere non vult, tamen

---

scaenae suavitatem certe intellexit, sed ut ab imitatoribus res quaeque depravatur, ita talis scaena in amatoriis tum nimis trita erat, quam ut Plutarchus eandem viam insisteret.

1) *suav* 1086 C, 1100 E; *fac* 937 C: Plutarchus cum familiaribus et discipulis schola finita in gymnasium ire solebat, ubi sermones celebrare pergebant; ambulando defatigati tum considebant.

librorum initio nihil praetermittit, quin diligentissime nos in dialogorum fabulam ut ita dicam sic introducat, ut sermonem e vita esse depictum opinemur. Multis parvis rebus notisque obiter indicatis sermonem saepe paucis verbis iam ita nobis proponere scit, ut paene post prima verba — nisi proemium longum adiectum est — fabulam perspexerimus et in ipsam rem animum advertere parati simus, ut in proximo capite in singulis dialogis videbimus. Qua ipsa re Plutarchus dialogis nescio quid familiaritatis addit; quae familiaritas summopere augetur, cum ut loca ita personae quas inducit illius familiares et necessarii sint. Socrates cum quovis homine colloquitur, Cicero cum viris rei publicae praestantissimis, Plutarchus non modo semper fere se ipsum — id Aristoteles Cicero multi fecerunt — sed se cum amicissimis vel discipulis vel aequalibus vel maioribus colloquentem inducit neque familiaritatem dissimulare studet. Amicos Chaeronenses aliosque etiam imprimis libros suos lecturos esse exspectabat, quibus cum personas notas esse suo iure putaret, initio illas diligentius describi opus non erat. Et si tamen paucis eas significat, his ipsis verbis eum fere solum respicit, ad quem librum mittit (*Col* 1107 F). Ne nominantur quidem initio libri omnes qui colloquuntur. Plato priusquam ad rem accedat omnes qui postea quid dicant, nominatim appellat, velut Phaedo interrogatus eos nominat qui Socrate moriente aderant[1]) aut Socrates *rep.* cap. 1 in fabula explicanda omnes qui sermonibus intersint, convenientes facit; Cicero et Tacitus eos in praefationibus iam inducunt, nisi quis postea advenit ut Messalla; sed Plutarchus neminem nisi paucos vel eum qui maximas partes agit solum nominat (excipiendus amatorius[2])), quamvis arte personarum notitia cum scaena describenda cohaereat; plurimos tum demum

---

1) Laudat eos sane discipulos, qui tum adfuerint.

2) Multos statim enumerat hic, quia Chaeronenses et Thespienses aperte distinguere vult.

nominat, cum iis iam dicendum est, eosque tum inducit perinde ac si iam pridem omnibus noti essent, uno verbo significante addito: *de E* Λαμπρίας ὁ ἀδελφός, Νίκανδρος ὁ ἱερεύς (neque plura), *def* ὁ Μεγαρεὺς Ἡρακλέων . . . ἔφη ἀναπηδήσας ὁ κυνικὸς Δίδυμος aut tantum: *vind* ὁ Σύλλας, ὁ Τίμων, ὁ Πατροκλέας. Quin etiam eo familiaritatis procedit, ut talia addat qualia: οἶσθα γὰρ δὴ Θέωνα τὸν ἑταῖρον (*de E* 386 D, cf. *Col* 1107 F). Sed non modo propter familiaritatem viri non initio nominantur, sed etiam ex compositione fabularum vel historiarum id petitum esse videtur, quibuscum permultum similitudinis Plutarchi dialogis est (p. 56 sqq.). Ut in fabula homines non prius inducuntur quam rebus interesse incipiant, ita Plutarchus eos nominat, ubi sermonis participes fiunt, neque aliter agit in libris *gen* et *conv*, ubi fabula plurimum valet.

Ubi alii viri post alios adveniunt, Plutarchus si complures sunt non semper eodem modo agit. Omnes qui adveniunt enumerat *soll* 965 C, nuntiantur ab Autobulo non aliter atque in tragoediis (cf. *gen* 582 D), sed cum hic dialogus dramaticus sit, auctor eos advenire alio modo significare vix potuit, et cur omnes hic enumerat causa aperta est: statim duas partes discernere voluit. Non eos nominat *def* 412 D sqq., sed Heracleonem solum (Didymus autem et Philippus cum eo sunt). Sed nunquam Plutarchus omnes viros qui adsunt enumerat[1]), sed eos solos quibus aliquid dicendum est. (cf. Plat. symp.)[2]).

1) praeter p. 965 C (*soll*, cf. supra) et p. 575 E (*gen*, cf. p. 17).

2) Mirum igitur est, quod *am.* 749 B Lysander quidam nominatur qui nihil colloquitur et quod Pemptides inter viros enumeratos deest, cuius nomen non facile insereres. Hubert, de am. p. 49. — Lysandri nomen esse eiciendum cum Huberto (p. 781) iam prius consentiebam quam illius libellum cognoveram. p. 752 D autem (Δαφναῖον δ' ὁρῶ . . . καὶ τοῦτον οὐκ ἐνοχλεῖ τὸ Λυσάνδρας κάλλος, ἀλλὰ συνδιακεκαυμένῳ καὶ γέμοντι πυρὸς . . . πλησιάζων . . . ἀναπίμπλαται) haec verba non de Lysandrae venustate (κάλλος) dicta puto, sed de patre ipso: pater amat, Daphnaeus semper cum Lysandra est; Daphnaei amor augetur atque excitatur quod Plutarcho familiariter utitur. Itaque pater Daphnaeo quem Pisias aggressus erat, auxilio veniebat; quem impetum Pisias ita

Hominum autem numerus qui Plutarchi sermonibus intersunt, non est certus, sed infinitus (velut *de E*, *def*, *gen*), cum Plato non plus tres inter se diutius colloquentes introducere soleat (Hirzel I 208).

2. De exordiis dialogorum.

Dialogos iam ab antiquis e specie externa distributos esse Diogenis Laertii locus ille nos certiores facit: III 50: οὐ λανθάνει δ' ἡμᾶς ὅτι τινὲς ἄλλως διαφέρειν τοὺς διαλόγους φασίν. λέγουσι γὰρ αὐτῶν τοὺς μὲν δραματικοὺς τοὺς δὲ διηγηματικοὺς τοὺς δὲ μικτούς· ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τραγικῶς μᾶλλον ἢ φιλοσόφως τὴν διαφορὰν τῶν διαλόγων προσωνόμασαν[1]). Iure Diogenes τραγικῶς dicit, cum hanc distributionem ab arte poetica ad dialogos esse translatam appareat[2]). Nos quoque haec tria genera, dramaticum dico et diegematicum et mixtum, secernamus, nam hanc diversitatem cum alibi tum in exordiis summi momenti esse mox apparebit.

Quibus causis scriptores in universum adducantur, ut dialogum dramaticum aut diegematicum condant, Hirzel (I 211) iam explicavit. In dramatico auctor sermonem et argumentum ante oculos posuisse satis habet; in diegematico non solum referre sermonem interest, sed cum auctori ipsi verba et vitae morumque notas praeter personarum dialogi verba inserere liceat, vita et consuetudo virorum et temporum melius illustratur. Itaque huic generi semper aliquid fabulae inest, adhibetur autem maxime cum certae personae non ignobiles et certae aetates describendae sunt. Mixtus autem fit dialogus,

repellit, ut magis illudat quam redarguat; irridet Daphnaeum, illudit Plutarcho: arbitros offendit. Sic iocum recte intellegi puto.

1) Omitto eam distributionem quam Diogenes apud Platonem adhiberi mavult; discernit enim ὑφηγητικούς et ζητητικούς horumque generum multas species (III 49); sed ea distributio e Platonis operibus solis petita nos nihil adiuvat, cum magis ad argumenta tractata quam ad formam pertineat.

2) cf. Menagii adnot. ad Diog. La. III 50.

ubi auctor verba de sermone eiusque personis addere vult, sed prooemia aut adnotationes interiectas veretur; sua iudicia a prioris sermonis viris edenda curat[1]). Plato etsi praeter dialogos dramaticos etiam nonnullos diegematicos composuit velut Rempublicam atque mixtos velut Phaedonem et Euthydemum, tamen nunquam praefationem qua ipse loquitur edidit, sed per altercationem omnia ostendit. Prooemium ab Aristotele primo inductum postea semper valde usitatum erat. Nam ut in dramate res ante dramatis actionem ipsam factae quas ad drama intellegendum ipso initio cognoscere opus est, primo per sermones primos explicabantur, deinde hae res ab Euripide in prologum concludebantur, denique prologus additus est, qui res cum dramatis argumento minime cohaerentes continebat (apud Terentium, qui sine dubio Graecos secutus est), ita dialogorum prooemia simili modo variatae sunt. Primo in dialogis nihil non per sermones describebatur; deinde ut in dramate prologus ita in dialogo prooemium additum est, ubi exponebatur et quae res ante sermonem ipsum factae essent et qui esset finis dialogi, cuius prooemii principia iam in Platonis Republica inveniuntur, ubi fabula paene in prooemium cogi coepta est; multo autem magis postea praefatio usurpata est, quae res ab argumento abhorrentes tractabat, qualem certe inde a Theophrasti et Heraclidae Pontici dialogis invenimus[2]); sed cum fine praefationis auctor plerumque

---

1) Theaetetum Plato quia solum sermonem tradere intererat, non ut mixtum, sed bis dramaticum composuit (cf. Cic. Tusc. I 8, Lael.),

2) Procl. in Parm. T. IV 54 Consin. Sed cuiusmodi prooemia Aristotelea fuerint, mihi quidem non tantopere liquet quam Hirzelio (I 295_2) et F. Schmidtio (De Heraclidae Pont. et Dicaearchi Mess. dialogis perditis. Diss. Breslau 1867, p. 29 sq.), qui eadem esse illa atque Theophrasti censuerunt. Duo testimonia premuntur; sed Basilius loco illo (ep. 135 Migne) non prooemia, sed personarum ingenia ab Aristotele et Theophrasto non illustrata spectat (Heitz, die verlor. Schriften des Arist. 142 sqq.), Cicero solus (ad Att. IV 16) prooemia Aristotelea singulis libris adiecta variorum argumentorum plena fuisse dicit. At si Aristotelis ipsius de prooemiis verba (rhet. III 14) inter-

coniunxit ut in prioris formae prooemio (cum apud antiquos scriptores praefatio semper esset pars libelli ipsius neque, ut nostris temporibus, per se componeretur) dialogi exordium addiditque statim ea quae de dialogi personis aliisque rebus dicenda erant (velut Cic. in Tusc., fin.). Quae partes in praefatione nonnunquam tam arte cohaerent, ut dirimi vix possint. Etiam Plutarchus praefationes addidit, quae quomodo a reliquis recedant, postea exponetur.

Sed quid nos ab auctore in dialogis dictum iri — non in praefationibus Theophrasteis, sed in exordiis sermonum ipsorum dictum — speramus, priusquam propositum ipsum tractetur? Nihil desideraretur, nisi sermonem talem revera habitum esse ad vitae speciem fingi vellent ii qui legunt. Sed cum res ita se habeat, auctorem describere oportet ubi quando quomodo inter quos sermo institutus sit, quibus rebus adducti quaestionem propositam ipsam aggressi sint. Quod demonstrari potest aut in dialogo ipso in dramatis modum aut in prooemio Aristoteleo. Exordium autem dialogi eam partem dico quae prima facta et verba narrat, antequam de certo proposito diligenter colloquantur; quod summum propositum esse non necesse est; an *gen* cap. 1—9 aut *soll* cap. 1—7 exordii esse dicemus? Iam videamus quomodo

---

pretabimur, in generis demonstrativi libris licere prooemiis talibus uti videbis, in genere autem iudiciali sicut in carminibus et tragoediis prooemiorum est hoc: δεῖγμα τοῦ λόγου ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ᾖ ὁ λόγος καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια (1415 a 12). Itaque si generis demonstrativi leges in dialogis secutus est, praefationes scripsit ut Theophrastus; sin poesis leges, prooemia quae continebant similia atque prologus Euripideus. Ipse autem τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους non minus appellat μιμήσεις καὶ λόγους quam Σώφρονος μίμους (po. 1447 b 9, frg. 72 Rose). Et Proclus l. l. nonne fortasse propterea Aristotelis nomen omisit, quia eius prooemia alia erant atque Theophrasti? Ciceroni autem facile accidere poterat, ut ambo genera confunderet. In Aristotelis ergo dialogis ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο δηλῶσαι τί ἐστιν τὸ τέλος οὗ ἕνεκα ὁ λόγος.

Plutarchus illas res explicet, id quod imprimis in dialogis diegematicis non parvi interest.

Dramatici generis sunt dialogi ,de cohibenda ira', ,de sollertia animalium', ,de communibus notitiis', ,Gryllus'.

Optime Plutarchus in libro de coh. ira explicari facit in sermone, ubi et qua de causa haec ipsa res tractetur. Cum Sulla et Fundanus amici in itinere longum tempus una versarentur, Sulla ex amico quaesivit, quomodo factum esset, ut iracundiam (τὸ σφοδρὸν καὶ διάπυρον 453 B) deponeret. Res nonnullae quae paucis verbis ille inserit, respiciendae sunt: non deest causa, cur facultas tanti sermonis data sit (τῆς ὁδοιπορίας σχολὴν διδούσης 453 C, cf. Plato leg. 625 a, Thecr. 7), et simul dicit Sulla, quomodo amicum placidiorem factum esse animadverterit (453 A). Tales parvas res Plutarchus indicare solet; et in primis dialogi verbis etiam similitudinem — inter omnes constat Plutarchum a similitudine quadam vel ab alterius auctoris sententia proficisci solere — invenimus (καλῶς μοι δοκοῦσι ποιεῖν οἱ ζωγράφοι . . .), quamquam id in sermone cotidiano vix ita fieri solet. Ea omnia per primam Sullae orationem exposita sunt; deinde postquam uterque paucis verbis usus declaravit Sullam de hac animi mutatione Fundani non falli, is statim rem exponere incipit. Recta ergo via et ambagibus omissis propositum ingrediuntur.

Neque minus bene in libro ,de sollertia'. Incipit dialogus a poetae (Tyrtaei) sententia ut antea a similitudine, statim in medias res inducimur: Autobulus et Soclarus de oratione pridie a sodale (Plutarcho?[1])) habita colloquuntur, diutius iam collocuti esse videntur; uterque eam partem laudat, quae sibi maxime placuerit; deinde Autobulus scrupulos quosdam movet contra venationem (crudelitatem ea augeri): sic iam nova quaestio orta est (cap. 2)[2]). Sed Autobulus sermonem interrumpit, cum ei

1) Muhl, Plut. Studien, Progr. Augsburg 1885.

2) Quae quaestio postea non ipsa tractatur, sed p. 964 F sqq. respicitur, auctor hic venationem iustam praedicat laudationi prioris

in mentem veniat certamen de simili re esse audiendum et diiudicandum, qua re a Soclaro confirmata iam omnia explicata sunt, quae dialogi recte intellegendi causa dici oportebat. Certamen[1]) pridie constitutum erat (960 A), quod neuter nesciebat (Soclarus quoque laudationi intererat, 959 C, 960 B), itaque Autobulus multis illis verbis non tam Soclarum respicit quam eos qui legunt. Nudis verbis quae non propter rem et conexum sed in usum lectoris esse dicta apparet res proposita indicatur, velut p. 965 C viri advenientes nuntiantur et p. 960 B ad sermonem prioris diei reditur (ὅσα ἐχθὲς . . . καιρὸν οὐκ ἔσχε, πρὸς αὐτοὺς ἀναλάβωμεν). Cum Plato etiam si non statim a re proposita incipiat, sensim et paulatim sed constanter ad rem accedat, Plutarchus nimis aperte compositionis lineamenta hic ostendit, non erat in eo poetae ingenium, quo praeditus Plato dialogos summa cum arte expolivit. — Magnum aliud discrimen quod inter Platonem et Plutarchum est iam hic cognoscere licet: quicumque apud Chaeronensem colloquuntur, non paucis verbis interrogant et respondent, sed raro interrogati semper pluribus verbis usi sermonem ad rem propositam adducunt (cf. Sullae verba prima *coh.* 1).

Non ita simpliciter exordium Grylli compositum est; invenimus enim quasi duo exordia, quorum alterum sermonem Ulixis et Circes, alterum Ulixis et Grylli continet. Vivi sermonis hic imago nobis datur, cum saepius verbis Ulixes et Circe alternent quam personae aliis locis apud Plutarchum, quare hunc tenorem certis normis includere vix licet. Nam etsi Circes domus descripta non est, Plutarchus totam Ulixis fabulam nobis in memoriam revocare studet eoque diligentius, quod paucis verbis omnes de parvis fabulae notis commoneri non ignorabat. Sed tamen non obliviscebatur propositi, sed inde a primis

diei paululum moderans, cum scrupuli illi in venationis laudatione locum non haberent.

1) Talia certamina inter Plutarchi discipulos usitata fuisse videntur.

verbis id spectabat, ut de brutorum animalium ratione colloquerentur; aperte autem iam p. 986 A auctoris consilium cognoscitur. Tum a Circe bestiae loquendi facultas danda est Ulixisque consilium cum Gryllo communicandum. Nimirum Ulixes illum vitam pristinam recusare indignatur, placato autem Gryllus iam persuadere incipit. Recte progreditur prooemium. Nobis non minus ridiculum videtur callidissimo viro a bestia persuaderi quam eum ab illa conviciari vetari; sed scaena certe optime expedita est[1]), quod non idem valet de dialogo qui inscribitur ‚de communibus notitiis'.

Primo adulescens quidam, quem iniuria Lampriam appellatum esse Hirzel rectissime monuit[2]), longa oratione exponit ea quae ante hunc sermonem facta sunt, se plane perturbatum esse per amicos Stoicos qui non tam se ipsum quam Academiae principes accusavissent quod communes notitias confudissent. Diadumenus autem eum id multo magis a Stoicis ipsis factum esse docet multis ipse verbis et postquam adulescens ille interrogatus audire se malle dixit, quomodo Stoici accusari possent, statim Stoicorum doctrinam aggreditur. Quamquam sic fabulam dilucide eamque longis orationibus explicatam esse plane cum Plutarchi consuetudine consentit, tamen in dialogis quos supra tractavi diligentius id factum est. Neque cognoscimus, ubi et quomodo illi convenerint neque qui viri sint, ne nomen quidem alterius scimus. Sed haec omnia ex auctoris consilio orta esse videntur. In exordiis tractatis eius plurimum interfuisse vidimus

1) Itaque propter abruptum initium dialogum mutilatum putare non licet, cf. p. 15.

2) p. II 223₁. Accedit quod Lamprias si Plutarchus senex hunc librum — qui liber vel propter argumentum inter priores habendus non est — scripsit, multis ante annis mortuus erat neque fieri potest, ut Plutarchus fratrem, quem in aliis dialogis magna auctoritate et summa doctrina fuisse demonstravit (*def.*, *qu*), post mortem eo modo rudem se praebentem faciat. (Hirzel II 197; Gréard, de la Morale de Plutarque 45; Heinze, Die Familie des Plutarch IV.).

quam celerrime ad rem propositam venire; non multa verba initio de variis rebus fiunt, sed ab initio auctor aperte sermonem sic instituit, ut non multum tempus intermittatur, dum Sulla et Fundanus, Autobulus et Soclarus de certa re colloquantur. Simili modo in libro *not* in medias res it atque eo celerius quo magis id cum animo adulescentis perturbato congruit. Quod exordium non temere compositum esse una res docet: quod auctor primo aliam causam petere videtur, rhetorice a contrario proficiscitur, nam se id non nescivisse adulescentis verbis declarat (1060 A: ἐγὼ δοκῶ . . ποικίλος γεγονέναι . ., ἄρτι μὲν γὰρ ἀπολογίας δεόμενος . . νῦν δὲ μεταβάλλομαι πρὸς κατηγορίαν), quod ipsum eum fateri plane Plutarcheum est. —

Dramatici generis dialogi inter Plutarcheos parvum numerum obtinent. Multo enim saepius et maiore cum arte fabula et sermone inter se coniunctis genus diegematicum tractavit. Quod genus quantopere praetulerit, vel inde apparet, quod in IX libris quaestionum conv. omnes sermones diegematice conscripti sunt. Multos huius generis dialogos prooemiis ille instruxit, sed cavendum est, ne ambo prooemiorum genera quae supra distinximus confundamus.

Prooemia quae dico Aristotelea quae finem (τέλος) dialogi describant (p. 8₂), non invenio; narratur in dialogorum diegematicorum exordiis plerumque, quomodo sermo coeperit; nonnunquam autem etiam praefatio exstat, quales addidit auctor in quaest. conv. Quarum argumentum non tantopere a dialogi argumento discrepat quam in Ciceronis dialogis, immo una sententia breviter illustratur quae optime ad rem propositam quadrat, velut *qu* I—VIII in praefationibus de conviviis agitur et in proxima uniuscuiusque libri quaestione de moribus convivalibus similibusque rebus[1]), in libri noni prooemio pauca de Musis dicuntur, quia in Musarum aedibus convivantur. Ut in his libris ad Sossium Senecionem missis

1) cf. e. g. VIII 1: λόγους τῇ συντυχίᾳ πρέποντας . . .

cum praefatione dedicatio coniuncta est, ita praefationem etsi brevem semper invenimus cum Plutarchus libros ad amicos misit. Cuius praefationis vel dedicationis sententia optime elaborata est in libro de E (usque ad verbum εὐπορούντων), ubi auctor se plura et meliora verba ab amicis exspectare declarat. Dedicationem paucis verbis illustratam habemus in libris *Col*, *def*, ubi ille comparationis causa de Delphis mundi umbilico dicit (cf. p. 20 sq.). Sed saepe praefatio cum dialogo ipso tam arte conexa est, ut dubitare liceat an non pro praefatione habenda sit velut *suav*, *def*, certe non ita abscindi possit salvo dialogo ut in libris *qu* et *de E*; nam cum illis praefationis sententiis cohaeret neque facile dirimi potest dialogi exordium.

Praefationem enim subsequitur scaenae explicatio, quam auctor ipse describit. Paucis eam illustrat, sed satis diligenter, tum iam in medium sermonem inducimur, cuius verba prima plerumque oratione obliqua afferuntur. Velut de E 384 F describit, quas difficultates illud E praebeat et quomodo ut illis cum amicis mederi conaretur, et tum et multis ante annis adductus sit[1]); paucissimis scholam habitam

1) Sermonem a Plutarcho etiam hospitibus enarratum esse nihil refert, nam describit deinde eum sermonem quem multis annis ante cum Ammonio habuerat, non quem cum hospitibus. Qui sermo quamquam postea dialogo nil momenti affert, commemoratur, quia ob hanc rem auctor adductus est, ut librum scriberet. Errat Wyttenbach, cum dicit (animadvss. ad 386 B): „οὐδεὶς ἐγίγνωσκε Δελφῶν· nimirum eorum Delphicorum civium, quibuscum antea collocutus erat is, qui haec disserit, paulo supra dictus Ἕτερος δέ τις, unus ipse τῶν ξένων, hospitum p. 385 A memoratorum. Est autem in hoc libro nexus Dialogi aut turbatus aut certe non diserte declaratus“. Nimirum οἱ Δελφοί sunt periegetae et sacerdotes Delphici, e quibus unus pro omnibus Nicander sacerdos colloquitur (386 B τὴν δὲ κοινὴν καὶ περιηγητικὴν δόξαν εἰς τὸ μέσον προῆγον, ... ὡς ὑπολαμβάνουσι Δελφοὶ καὶ τότε προηγορῶν ἔλεγε Νικάνδρος); Nicander cum Lampria (quem aggreditur) et Ammonio colloquitur id quod iam verborum conexu efficitur: ὁ μὲν Ἀμμώνιος — ἕτερος δέ τις, ταυτὶ μέν, ἔφη — ὁ δὲ Λαμπρίας (cap. 4). Eiusdem sermonis neque diversorum hae personae sunt participes. — Ceterum p. 385 B scribendum censeo: ... αὐτῶν <ἀναμνησθεὶς ἀνέλαβον> ἃ πάλαι ποτὲ ...

proponit *Col* 1107 F; etiam brevius scaenas in quaest. conv. describi ut in parvis sermonibus mirum non est[1]). Quod in convivio VII sapientium diligentissime et copiose scaena illustratur[2]), ex libelli indole ipsa factum est, cum magis fabulae quam dialogi speciem prae se ferat; sed tamen non multum spatii intermittitur, dum sermo de certa re oriatur (147 A)[3]).

A qua indole diegematica duo dialogi (de sera vindicta, de facie) tantopere recedunt, ut nisi per se explicari possint, eos non esse incolumes statuendum sit. Uterque enim dialogus a talibus verbis incipit qualia efficiunt, ut verba antea dicta primo obtutu desiderentur. Quid Epicurus dixerat (*vind* 548 A) et quid ad mythum convenit (*fac* 920 B)? Sed prioris dialogi initium diligenter inspicientes iam omnia invenimus quae a Plutarcho in exordiis explicari solent. Epicuri (Epicurei?) cuiusdam verbis irritati ii qui adsunt porro ambulant et inter eos convenit, ut illius verba refutent quasi adsit. Deinde quaeritur quae ex illius verbis maxime offenderint, i. e.: ad rem accedunt. Scaena diligenter descripta est; imprimis id probe comperimus, quomodo ad rem propositam transeant et quid Epicuri verbis effectum sit; ne similitudo quidem Plutarchea desideratur Timone paucis versibus post initium a Brasida incipiente (548 C). Nihil omnino deest nisi verba Epicuri, sed paulo post iam comperimus de quibus rebus dixerit (cap. 2, p. 548 D sqq.). Si Epicuri verba antea addita essent, multis verbis opus fuit (ἀθρόα γὰρ πολλὰ καὶ κατὰ τάξιν οὐδέν 548 C), sed verba illa

1) commentat. Ribb. p. 59 sq. (Graf).

2) Hirzel II 141 sqq.

3) Cum alter interlocutor Nicarchus verba non faciat, hic dialogus inter diegematicos numerandus est sicut Platonis Respublica Charm. Lysis Parm., quos imitatus Plutarchus Nicarcho verba non tribuisse videtur. — Fortasse autem etiam descriptionem quandam convivii illius priorem secutus est; qualem exstitisse iam ex Plutarchi verbis cap. 1 apparere mihi videtur. Auctor cum illam traditionem se aggressurum et correcturum esse polliceatur, formam imitatus esse potest, ut meliorem redderet. (Archetimos? Hirzel II 138 4, Philolog. III 38 Röper).

non desiderantur, cum summa a Patroclea Olympichoque repetatur, cum scaena bis exponi non possit, cum „nuncupatio ὦ Κόντε satis clare arguere videatur hinc disputationis initium fieri[1]“. Accedit quod postea verba Epicuri quamquam refellenda sunt, nunquam respiciuntur. Itaque non solum non mutilatus est hic dialogus, immo vero maiore cum arte quam alibi scaena dialogice atque pulcherrime descripta. Neque Plutarchus primus ex abrupto colloquii narrationem orditur, sed principia abrupta iam in Platonis Gorgia et in Hippia minore exstant, qui liber Hippiae oratione paulo ante finita simillime incipit, et Plutarchi temporibus etiam magis usitata fuisse videntur[2]). Sermonis verba tenorque auctori tam acriter ob oculos versabantur, ut primis sermonis verbis quae non multum valent neglectis statim in medium sermonem ire auderet et tamen de scaena satis multa initio prodere sciret.

Similiter res se habet in altero dialogo ‚de facie‘; etsi scaena non ita clare expeditur, tamen res explanatur: Lamprias et Lucius qui scholae de lunae facie habitae interfuerunt[3]), a Sulla aliis rogantur ut scholam enarrent. Summa scholae breviter explicata harum rerum aliquid cum mytho suo convenire Sulla dicit, sed priusquam mythum enarret, audire cupit quae argumenta contra alias sententias allata sint. Intellegimus sane de qua re quomodo agatur, sed sero aliis locis cognoscimus illos ambulare (937 C), sodalis cuiusdam[4]) verba iteranda esse 929 B F, 921 F, 923 F, 930 A, 937 C), quid cum mytho

1) Wyttenbach animadv. ad p. 548 A. — (De hac dedicationis formula vide etiam p. 21). Wytt. fortasse non iniuria hunc dialogum alterius disputationis contra Epicureos scriptae deperditae continuationem esse credit.

2) ἀφέλεια. Hirzel II 107 3.

3) Soli ex iis qui adsunt intererant, nam ceteri se nihil iam audivisse ostendunt, cum saepius Lampriam interrogant.

4) ὁ ἑταῖρος 921 B, 929 B F, qua voce Plutarchus ipse indicatur, cf. *san* 122 E. Hirzel II 184 2. Certe Plutarchus ut erat modestus in sua schola (διατριβή 929 B) verba illa facta esse consulto sero dicit.

conveniat[1]). Sed dialogum non esse mutilatum initio ipso apparet: verba περὶ τοῦ προσώπου τῆς Σελήνης addita non essent, si quid iam de ea re dictum esset. Nil ergo periit[2]); quin etiam prooemii sententia quaedam Lampriae verbis (cap. 1) continetur. —

Prooemii loco sermo ipse fungitur in dialogis mixtis qui dicuntur. In quibus quae Plutarchi propria sint facillime intellegemus, cum dialogum ‚de genio Socratis‘ comparabimus cum Platonis Phaedone, utpote quem Plutarchus imitatus sit (Hirzel II 149).

Sermo prior de quo solo nunc res est, dilucide compositus est. Capheisias et Archidamus compluribus verbis identidem usi colloquuntur, sermo vividus cum altercatione igitur deest. (1) Ab Archidamo narrare iussus (2) Capheisias iam obsecuturus quaerit num ceteri qui adsint tantos sermones audire velint; (3) qua re confirmata nominibus nominatis Capheisias (4) interrogat, unde narrationem incipiat; Archidamus (5) paucis verbis ea quae ipse iam comperit repetit; tum Capheisias iam in medias res it neque omittit explicare, quomodo tum ipsum sermones philosophici tyrannorum decipiendorum causa instituti sint (576 B). Sic Plutarchus simul efficit, ut comperiamus quomodo Thebanus ille Capheisias et Archidamus Atheniensis convenerint[3]) et qui praeter eos sermoni intersint, quamquam

1) Initio difficultas augetur, quia eadem vox ταῦτα 920 B1 ad auctoris sententiam referenda est, sed B3 et B6 ad sententias profligandas. — Ceterum scaena haec est similis libri *suav*: initio ambulant, deinde considunt, in utroque libro schola finita sermonem de scholae argumento habere pergunt.

2) Eandem sententiam probat Adler (Diss. Vindob. X p. 89): „Primo quod nunc legimus capite proposita res indicatur ... Deinde verbis p. 920 A (ἀλλ' εἰ δή τι πρὸς τὰς δόξας ...) edocemur de eadem re iam antea disputatum esse partemque hic repeti. Tum hoc capite difficultates quaestionis de facie lunari proferuntur, quod plerumque in exordiis fieri solet. Postremo, quod gravissimum est, prima dialogi verba ad mythum Sullae spectant in extremo libro narratum, quae verba scriptor sollertissimus non suo loco posuisset nisi in initio libelli.“

3) p. 575 D: πρεσβείας ἀφιγμένους ἕνεκα καὶ σχολὴν ἄγοντας

nemo eorum verbum profert; plura ergo cognoscimus de huius sermonis causis et personis quam de fabula ipsa enarranda. Ne deest quidem initio similitudo longa Plutarchea. At Platonis etsi ipse quoque Phaedonem otiosum esse dicit (58d σχολάζω — Plut. 575 D σχολὴν ἄγοντας) Echecratemque summam rerum iam comperisse addit (57 a b τῶν δ᾽ἄλλων οὐδὲν ... — 575 D), nihil interest quare et quomodo Phaedo et Echecrates convenerint; sed quaecumque dicuntur, ad Socratis mortem, non ad ipsos illos pertinent. De Echecrate nihil comperimus. Plato rem propositam statim in medium profert, Plutarchus etiam sermonis dramatici fabulam exponit.

Sed quanto minor Plutarchi ars sit, apparebit respicientibus quomodo ea descripta sint quae paulo ante res enarrandas ipsas evenerunt. In Phaedone etiam hic dicta et responsa alternantur (58 a sqq.), a Plutarcho perpetua oratione res describuntur (576 A). Deinde cum Phaedo eos viros antea enumeret, qui postremis Socratis sermonibus intererant, Archidamus amicos qui tum cum eo sunt, nominat; id fecit sane Plutarchus ne nimis cum Platonis libro consentiret et ut illorum temporum imago clarius ante oculos poneretur. Postremo Plutarchi alter sermo ubi primum narrari coeptus est, nullo loco alterius verbis interrumpitur; Archidamum ne alloquitur quidem nisi bis (595 B D); neque narratione finita Archidamus ulla verba addit. Sed ut in sermone nostro cotidiano is qui fabulam perlongam enarrat saepe interpellatur verbaque fiunt de fabula decantata sive laudatur sive interpretatio poscitur, ita Plato sermonem narratum ab altero interrumpi facit, ut alicuius rei vel momenti gravitas laudetur; finito illo pauca adduntur (Phaed. p. 88 sq., 102, 118, 117 b allocutio; cf. inter alios Euthyd. 275 b, 303 a sq.,

ἄχρις οὗ τὰς ἀποκρίσεις τοῦ δήμου λάβωμεν ... legatum fingit esse illum, ne quis Thebanum quendam Athenis versari miretur neque omittit addere cur legatus otiosus sit. Capheisias Atheniensi, Phaedo Phliasio narrat.

290 e—293 a, 303 b; non ita in symp.). Plato igitur revera duos sermones inter se implicavit, Plutarchus sermonem priorem nusquam iterum in mentem revocat.

Quem priorem sermonem dialogo addidit in illo libro ut Platonem sequeretur et magis efferret libri indolem dialogicam quae inter fabulam evanescebat multis locis, aliis de causis in aliis mixtis (*Pyth*, *san*, *amat*). In *Pyth* colloquuntur de Diogeniano hospite insignis indolis adulescente qui sermonum ansam dederit. Id quod Plutarchus eo consilio fecisse videtur, ut amico adulescenti honorem tribueret librumque ei dicaret[1]). Mira autem res est proposita in ceteris libris: in *san* defendit auctor eos qui medicinam cum philosophia coniungunt, quas artes recte coniungi posse Glaucus medicus acriter negaverat (122 D E), in *amat* eos refellit qui Platonis Phaedrum imitati in eroticis vernum tempus floridum atque viride describunt, suos dialogos potius cum dramate comparari posse pollicetur (749 A). Hae sunt sententiae quibus proferendis alii auctores certe prologis (ut Terentius) vel praefationibus (ut Isocrates in Helena) utebantur, et Plutarchus dialogum mixtum ut has maxime sententias proferret composuisse videtur. Itaque scaena prioris sermonis in his libris non ita diligenter expedita est ut in libro *gen*; paulo diligentius autem exordii scaena describitur etiam *Pyth*: Basilocles se diu Philini adventum exspectavisse dicit, pacto ergo convenerunt eodem die quo alter sermo factus erat.

Sed ut in omnibus his pauca vere Plutarchea ostendam: vel quod identidem et initio et aliis verbis intermissis iterum dicere iubentur, id congruit cum libro *gen* (*gen* 575 D: διέλθε ... F: ὥστε σοι θέατρον εὔνουν καὶ οἰκείαν ἔχον τὴν διήγησιν .., ἀλλὰ τίς μέτριος ἀρχή .. — *san* 122 D:

1) Plato pol. 257 a. De viris insignibus sermo prior est in Platonis Euthydemo et Protagora, sed Plato illis illudit; potius cum libro *Pyth* Theaetetes est comparandus ubi Theaetetes adulescens vulneratus ob indolem et ingenium laudibus effertur.

ἀλλὰ καὶ τούτων ἔγωγε καὶ τῶν ἄλλων πρόθυμος ἀκροατής .. F: ἀλλὰ Γλαῦκον μὲν ἐῶμεν, σὺ δὲ τοὺς λόγους δίελθε πάντας .. — *Pyth* 394 E: ἢ σὺ βούλει χαριζόμενος ἡμῖν διελθεῖν .., 395 A: ἀλλὰ τίνα ἀρχὴν ἔσχον οἱ λόγοι); non ratione directa progreditur Plutarchus, etsi statim ad rem accedere videtur; nam quid interest cognoscere ubi ceteri manserint (394 E sq.), qui antea adfuerant, aut Glaucum vituperavisse illos, si verba eius postea omnino omittuntur? Ut Archidamus in *gen* non interrogat cuius generis verba fuerint et de qua re, ita Basilocles in universum omnia quae dicta sunt audire cupit [1]); *san* et *amat* initio verba paulo ante dicta respiciuntur: σὺ δὴ Γλαῦκον = tu igitur ut modo dixisti; ἐν Ἑλικῶνι φῄς, ὦ Αὐτόβουλε .., et semper alterum interlocutorem plane cognoscimus.

Quarum notarum cum nullam in libro ‚de defectu oraculorum' inveniam, maxime cum alter collocutor nusquam, ne initio quidem, in scaenam prodeat, nisi quod semel nominatur per allocutionem, equidem credere non possum sermonem inter Lampriam et Priscum tamquam in dialogis mixtis et in convivio VII sapientium [2]) institutum esse, id quod Hirzel una causa eaque permagna adductus posuit (II 195): „Denn es ist undenkbar, daß Plutarch unter dem Namen seines Bruders Lamprias ein Schreiben an Terentius Priscus habe ausgehen lassen." Concedendum sane mirum esse quod totus dialogus a Lampria narratur itaque ab eo scriptus esse videtur. Lamprias Priscum alloquitur vel cum in priore dialogorum mixtorum sermone utramque personam cognosci posse

---

1) Id ipsum Plutarchus cum complura argumenta tractaturus est, consulto effecit, ut maximum argumentum in obscuro relinqueret. Non ad summum igitur dialogi argumentum neque ad omnia prooemium accommodabat, sed id spectabat, ut quam primum et facillime ad sermonem proximum progrederetur. Prooemium non tam ad dialogi argumentum quam ad fabulam bene enarrandam aptatum et compositum est (*gen*, *Pyth*, imprimis *def*).

2) Ibi etiam Nicander etsi verba non facit, satis clare significatur: ὡς ὑμεῖς ἀκηκόατε, προθυμουμένοις ὑμῖν διηγήσομαι.

necesse sit, Lamprias illum videtur potius alloqui, nam est ea dedicationis Plutarcheae formula usitata; ad quem mittit libellum, eum in initio libri ipso semel alloquitur, sive pauca verba quae amico soli dicuntur addit (*de* E, *Col*) sive non addit (de adul. et amico). Itaque si ponimus in libro dedicato sermonem exstare inter auctorem et eum qui accipiat, Lamprias cum Prisco colloquitur, neque amplius Plutarchus cum Quinto colloquitur in libro ‚de sera vindicta', ubi res plane eadem est. Non exstat dialogus, immo hic liber (*def*) simili modo incipit atque dialogi diegematici (p. 16 sqq.), incipit a prooemii sententia, a similitudine quae tota Plutarchum spirans tot verbis exponitur et ita non apta est ad ea explicanda quae sequuntur ut in medio sermone quemquam ab illa proficisci vix ferendum fuerit; deinde ut in illis dialogis diegematicis statim ea describuntur quae ad sermonem proximum necessaria sunt.

At Lamprias, non Plutarchus totum sermonem narrat. Quae res Platonis dialogis velut dialogo de republica comparatis facile explicatur. Ut Socrates sermonem antea habitum narrat neque quisquam hos libros ab eo scriptos esse putat, eodem modo scripsit Plutarchus ea quae Lamprias narrat. Quamquam Socratem in Platonis dialogis narrare nemo non cognoscit, Lampriam autem narrantem induci sane mirandum est, tamen suo iure Plutarchus Platonem imitatus dialogum sic composuit neque dubito quin Platonem ille sic imitari voluerit. Videri possit Lamprias etiam dialogum de facie lunae scripsisse, sed tamen nemo dubitare potest, quin Plutarchi opus sit, nam Lamprias auctor non suum ipsius nomen (937 D, 940 F, 945 D, cf. *def* 413 D saepius), sed sodalis (929 B F) nominavisset. Nonne Plutarcho in alio dialogo Lampriae nomine uti licebat? Plutarchus Lampriae dicendi partes tribuit, quia hic tali sermoni revera interfuerat idque fratri ipse narraverat. Hirzel quoque putat non plane fictum esse sermonem (II 196 Recapitulation eines früheren Gesprächs). Dedicatur igitur liber nomine Lampriae praeposito — id

quod Platonis imitatori licebat — Terentio Prisco, non Lampriae (Hirzel II 185), sed scriptus est in honorem fratris iam mortui (?) sicut Platonis Respublica in Socratis honorem. Praeterea hic liber nonne inter eos habendus est quos Plutarchus ipse ad Serapionem et per eum ad alios amicos Athenienses se misisse dicit (de E 384 E πρὸς σὲ καὶ διὰ σοῦ τοῖς αὐτόθι φίλοις τῶν Πυθικῶν λόγων ἐνίους . .)? Qui amici Athenienses libris una missis satis clare cognoscebant Plutarchum esse auctorem. Accedunt alia momenta cum narrandi arte coniuncta quibus auctor commotus est, ut sermones a Lampria enarrari faciat [1]), certe fabula vividius et alacrius ante oculos ponitur si qui ipse intererat rem describit, et narrationis fides augetur; fidem autem sermonibus facere Plutarchi multum intererat, velut clare significatur unde Autobulo notitia tam certa manaverit (*amat* 748 F).

Denique hanc rem non nihil fulciri posse spero. In Plutarchi dialogis mixtis qui dicuntur respicientibus nobis quis sermonem antea habitum referat, animadvertitur eum semper enarrari a viro qui antea minores aut nullas partes egerit. Sicut Zeuxippus (*san*) antea nihil omnino dixerat Philinoque (*Pyth*) et Capheisiae quoque (*gen*) non magnae dicendi partes attributae sunt; in sermonibus tantis accidere non poterat, ut nihil dicerent Philinus vel Capheisias legatus. At in dialogis diegematicis et praefationibus instructis auctor ipse maximas partes agit (*Col* et *vind*; *def* et *fac*, ubi Lamprias qui auctor esse videtur maximas orationes habet). Quod quoniam in omnibus Plutarchi dialogis animadvertitur [2]), non fortuito factum esse

---

1) Hubert, de Amatorio p. 42 sq., Berl. philg. Wochenschr. 1904, p. 325 (Pohlenz).

2) Aliter res se habere videtur in libris *suav* et *de E*. Sed in libro *suav* etiamsi Plutarchus ipse non multa verba facit, tamen eum hominem qui ut scholae magister sermonem ingenio atque auctoritate regit et recte perficiendum curat, non parvi aestimandum esse dicemus, et ipse se principatu suà sponte recessisse dicit (1087 C τὴν ἡγεμονίαν ὑμῖν παραδίδωμι). Et quod in dialogo *de E* Ammonio maximas partes

censeo, praesertim cum de Platonicis fere idem statui possit [1]). Neque valde miror rem ita se habere, sed potius mirarer, si is qui antea magnas dicendi partes suscepisset et perpetua oratione multum tempus contrivisset, paulo post eadem omnia repeteret, si Theon e. g. (*Pyth*) eodem die omnia verba quae antea et ab ipso et ab aliis dicta essent, iterum proferret. Sed si auctor prima verborum persona usus dialogum diegematicum a se ipso enarrari facit, ipsum maximas partes agere oportet, ne sententias ab aliis magis mutuatus esse quam ipsius proferre videatur. Quod facere Plutarchus ut erat modestus (cf. librum de se ipso laud.) noluit.

Plutarchus igitur prooemiis usus est, sed cum in iis raro res a proposito abhorrentes tractaret, ad Platonem paululum rediit; neque prooemia se defendendi aut aggrediendi causa condidit, immo id acriter recusavit: tales disputationes in dialogorum mixtorum sermonem dramaticum reiciebat (*amat*, *san*). Cui sermoni cum plerumque aliquid prooemii inest tum apud Plutarchum, quia illae res tractantur et quia nullo loco iterum suscipitur. Nunquam dialogum dramaticum prooemio ornavit (velut Cic. Tusc.),

---

tribuit, inde explicatur quod Ammonius magister erat et Plutarchus hanc sententiam Academicam tum suam ipsius esse cum profitetur (387 F τάχα . . ἐν Ἀκαδημείᾳ γενόμενος) tum iam demonstraverat, cum sermonem antea hospitibus narravisset. Itaque ea non pugnant cum opinione nostra.

1) Dici potest de plerisque dialogis, ut in Republica, Theaeteto, Phaedone, Symposio clarissime cognosci potest, non de Euthydemo, in quo libro Socrates sermonem cum sophistis habitum describit, nisi ibi sophistas veriora Socrate proferre putes. Sed ut Plato ipse dicit (Theaet. cap. 1, p. 142 c d), Socrates sermones habitos apud amicos enarrabat, id quod faciebat ut etiam hoc modo aliorum et ipsius verbis propositis amicos et discipulos doceret et eorum opinionem de re tractata eliceret. Accedit quod Plato in Euthydemo demonstrare volebat, quantopere Euthydemi et Socratis rationes disputandi distarent, et quo magis Socraticae rationis virtutes ostenderet, postremum sermonem Socratis et Critonis addebat. Itaque Platonem hic cum Plutarcho comparare non licet.

ergo simulatque dedicationem aut praefationem adiecit, dialogum fieri diegematicum necesse erat.

Exitum non aliter dialogorum diegematicorum formavit ille quam mixtorum. Quorum in exitu cum scriptori liceat aut de sermone descripto verba addere (maxime Plato in Euthyd.) aut sermonis et dialogi finem saltem suis verbis significare, Plato Cicero Tacitus paucis colloquendi finem indicant. Sed Plutarchus in dialogis mixtis eum sermonem, quem prooemii loco libro praemisit, nusquam iterum in mentem revocat itemque in diegematicis ultima oratione longa habita nullo modo significat neque finem esse dialogi neque eos discedere neque laudantes neque vituperantes eos orationes neque assentientes facit. Ne in libro *vind* quidem assensionis vel laudis verba adduntur, etsi Olympichus antea hoc pollicitus erat (563 B). Quod non ex illorum tempore aut Plutarchi more manavisse aliis locis apparet; imprimis ubi unius convivii complures sermones narrantur: *qu* II 5 τὸν Φιλῖνον ἡμῶν ἐπαινεσάντων, III 2, 5 saepius, *conv* 153 E, *Pyth* 396 A ἀποδεξαμένων ἡμῶν. Dubitari autem vix potest, quin Plutarchus ultimae orationis vim minuere noluerit idque nonnunquam optime assecutus sit (velut de E gravibus verbis de summo deo factis), sed saepe certum finem desideramus (*vind*, *qu* II 10). Uno in libro exitus verba mytho enarrato adduntur (*fac*: ταῦτ' ἐγὼ ἤκουσα .., ὑμῖν δὲ ὦ Λαμπρία χρῆσθαί τῷ λόγῳ πάρεστιν ᾗ βούλεσθε): Sulla mythum quendam a peregrino acceptum eius maxime verbis usus refert, fieri ergo non poterat ut illius verba librum finirent, non eius qui mythum referebat.

3. De principatu colloquii.

Inde ab Aristotelis dialogis auctor ipse principatum obtinere veritus non est. Plutarchus quoque quamvis Platonem imitari studeat, saepe princeps rem diiudicat, bis autem ita sermoni interest ut principatum ipse non teneat: *de E* Ammonio magistro cedit, cum sermonem se adulescente habitum esse fingat, *suav* consulto se principatu se abdicare addit (1087 C τὴν ἡγεμονίαν ὑμῖν παραδίδωμι), scholam atque exercitationem iuniorum describit. Non fortuito ergo viris principatum attributum esse auctor testatur. —

Hubert p. 59 (de Amatorio) dicit: „Simillimis auctor artificiis penes .. viros esse honorem et dialogi principatum significat. Nam

a) et ceteri qui adsunt eos ita suspiciunt, ut consulant ut sapientes neque quanti sua quae illi profiteantur comperire intersit, sine urbanitate quadam indicent:

Amat 757 E, 764 A/B δεομένων δὲ καὶ τῶν ἄλλων, 760 E, *num*: Patrocleae Olympichi Timonis verba 548 sqq., 561 B, *Pyth* 395 D, 397 D, 396 A ὡς οὖν ἐκελεύομεν καὶ συνεχωροῦμεν." (cf. praeterea *de E* 385 B/C, 386 D Theon Ammonium interrogat, *def* 414 C),

„neque unquam" (vel potius raro, cf. p. 46.) „quae illi dicant improbent ..., immo saepius diserte assentiantur: *Amat* 757 E, 758 C/D, *num* 552 E, 561 E, *Pyth* 396 B, atque audiendo se gaudere declarent:

Amat 762 D, *num* 563 B.

b) et ipsi praesides sermonis rerum peritissimos, ceterorum quasi magistros vel patronos se praebent. — Non enim nominatim admoniti, sed quasi aliter res geri non possit, pater et Theo ipsi consulentibus responsa dant (*Am* 756 A, *Pyth* 395 C 397 B), Plutarchus qua de re dubitent interrogat ipse disceptaturus (*num* 548 C), disseruntque ceteris pauca ad disputationem conferentibus."

Porro p. 61 Hubert dicit: „Deinde quod attinet ad effectus et habitum, pater (*Am*) 756—763 F pietate et studio persuadendi commotus non sine vehementia quadam tamquam tutor Pemptidis .. quasi in hymnum desinit, altera parte (inde ab 764 B) magis docet ceteros ..., Plutarchus quoque adhortatur et ad suam sententiam traducere studet Timonem commotiore animo, magis tamen per totas orationes illos docet."

Princeps per totas orationes docet atque persuadet, nonnunquam argumenta adversariorum refutat ratione ac

via, saepe suam sententiam opponit neque refellit, ut in proximo capite videbimus. Cuius principatus varia genera distinguere licet.

1. In nonnullis Plutarchi dialogis princeps tantopere excellit, ut dempto exordio principis verba totum librum obtineant: *coh*, *Col*, *san*[1]). Fundanus, Plutarchus, Zeuxippus ab amicis rogantur, ut argumentum decantent; imprimis Aristodemus id ab initio spectat, ut oratione perpetua disseratur (*Col* 1107 F τίνα τούτῳ μαχούμενον ἀνίσταμεν;). Ceteri nihil iam afferunt, ne interpellant quidem principem. Itaque Plutarchus magis orationem quam dialogum composuit. Et cum orationis forma etiam convenit, quod auctor saepius principem de se ipso loquentem inducit, nunquam autem alterum collocutorem alloquitur vel respicit:

coh: cap. 9 ἄρχομαι, 12 ἑώρων, 15 πειρῶμαι.

Col: 1110 F ἀντειπεῖν οὐδὲν ἔχω, 1111 F οὐχ ὁρῶ, 1113 E ἐγὼ ὑπερβὰς τὰ ἐκείνου .. ἀναλάβωμεν. 1115 D, 1116 C E, 1118 E, 1119 A, 1120 C, 1123 A, (alloquitur discipulos 1108 C).

san: commonet sodalis 122 F ἔφη ὁ ἑταῖρος, 123 D ἔτι ἐλέχθη, 124 C ἐμνήσθη, 124 D, 135 B D.

---

1) *san*: Plutarchus multos sermones praeter necessitatem molitus est et inter se coniunxit. Res ita se habere videtur: Plutarchus scholam de sanitate tuenda habuerat (ὁ ἑταῖρος est Plutarchus, p. 164); scholam eum habuisse Volkmann (Plut. v. Chaeronea I 65) recte iudicat, non sermonem, nam verbo διαλέγεσθαι 122 C auctor scholam vel orationem habitam saepe significat, Wytt. ind. Plut. s. v. Quod Glaucus medicus cum comperisset, ad illos venit et procul iam increpans (βοῶν πρόσωθεν) Plutarchi amicos, qui schola finita colloquuntur (Plutarchus non iam aderat; nam si adfuisset, ipse ut magister Glaucum reppulisset, non Zeuxippus, σὺ ἀπετρέψω cap. 1 in.) valde reprehendebat, quod fines philosophiae et medicinae confudissent: et nonnulla praecepta quae iam acceperat (διὰ στόματος ἔχων ἐσπάραττεν 122 C) παιδαγωγικά appellat. Tum plura neque illi Glauco enarrare volunt neque is audire (124 D). Tertium Moschion audire cupit quae sodalis dixerit. Sed cur tandem tot sermones impeditos et confusos proposuit Plutarchus? Expediri res non potest, nisi ille sermones habitos describit; ita Glaucum cuius mores optime illustravit, repellit rursus atque paululum irridet.

Zeuxippus autem postea sodalis oblitus ipse aliquid addit: 136 E ἤκουσά ποτε .. ἐμοὶ εἰρῆσθαι δοκεῖ; Plutarchus vero eo progeditur, ut Coloten et Epicureos nominatim alloquatur atque opprobria dicat: Coloten: 1113 E ὦ Κωλῶτα, 1117 D, 1119 D, 1122 E, 1112 D ἀλλὰ θάρρει, φαίη τις ἄν, ὦ φίλον Κωλωτάριον, Epicureos 1114 A, 1117 A, 1119 C, 1123 A;

quin etiam sibi ipse rationes contrarias fingit, ipse refutat: 1111 D, 1121 C Νὴ Δία, φήσει τις, ἀλλ' ἐγὼ ... ἀποφανοῦμαι. Ναὶ μὰ Δία, σοῦ γε μᾶλλον, ὦ βέλτιστε .., 1122 F;

hic auctor in diatribae modum, qui non ab eo alienus erat[1]), delapsus est.

Hi libri qui vix pro dialogis haberi possunt, simplicissimam principatus formam exhibent. Dialogi natura non iam valebat, sed quamlibet materiam ille complecti cogebatur. Ita factum est, ut maxima libri pars orationem nudam contineret, sermo in exordium solum reiceretur. Quod enim dialogis his non plus sermonum alacritatis inest, multo magis argumentis ipsis effectum est quam auctoris socordia. Nam praecepta illa quomodo in sermonis formam redigi poterant aut Colotis liber num per sermones iustos refutari poterat? Plutarchus hos libros in dialogi formam redegit, quia Fundanum honore afficere, quia prooemio — materiam dialogo dignam huc reiecit — medicinam cum philosophia sociatam defendere volebat, quia tum quoque dialogus forma maxime digna esse videbatur, qua libri philosophorum conderentur.

2) Non multo minores partes agunt principes in libris *not*, *vind*, *suav*, *fac*; princeps argumentum decantat, sed amici aliquid afferre student, aut adiuvant aut interpellant saltem aut adversariorum argumenta obiciunt. — Principatum in una quaestione unus habere solet, quem suam causam solum defendere oportet ceteris non multa adiuvantibus; sed *suav* Theon et Aristodemus

---

1) J. Seidel, vestigia diatribae qualia reperiuntur in aliquot Plutarchi scriptis moralibus. Dissert. Breslau 1906.

una Epicureos impugnant. Theonis esse principatum apparet: eum ceteri cohortantur 1087 A, ipse quaestionem definit, loquitur per capita 3—19, 25—31; Aristodemus viam impugnandi ostendit 1087 C, sed reicitur a Theone; postea Theonis verba iam prius laudatus (1097 A) excipit et complet cap. 20—23, paulo post autem plura dicere recusat, quia modo de eadem re Plutarchum dicentem audiverit ut ipse dicit, quia principem (Theonem, qui tum pergit) postrema verba facere oportet ut nos dicimus. Isti una principatum obtinent praeter normam: auctor non virorum sermonem proponit, qui suam sententiam totam praestant, sed adulescentium exercitationem (cap. 2. 15. 20), quorum unus tantum de re proposita pronuntiat quantum ex iis quae didicit memoriam eius non fugit [1]), quos quam plurima dicere magister Plutarchus gaudet sicut Ammonius gaudet de E 391 E. Scholae atque huic libro simillimus est dialogus de facie, cum sodalis verba a fratre et discipulis penes Sullam iterentur. Lamprias ipse multa fratris verba narrat (cap. 1—5, 7—15, 21—25) Luciumque urbane commovet ut maior natu ut ipse quoque ad scholam describendam aliquid afferat, cum eadem omnia audiverit. Praeter scholam tamen sermonis alacritas augetur, cum contra Stoicos utpote quorum unus adsit (Pharnaces cum Sulla venit) longius disserere necesse fiat. Postremo Sulla mythum addit (c. 26—30). Sic principatus quasi dirimitur, quod non fit in alio dialogo Plutarcheo: Lamprias Sulla Lucius quodammodo participes sunt. Sullae enim mythus cum Lampriae sententia plane congruit, ut ipse dicit initio: ταῦτα τῷ γ' ἐμῷ μύθῳ προσήκει (920 B); quod nisi ita esset, Plutarchus eum non addidisset.

Principis est peroratio. Princeps ubi quaestionem absolvit ultimis verbis ex sermonis more saepe propositum amplificat; ut Ammonius postremo non iam de E

1) Theon quoque νέος est (1104 A), sed non e Plutarchi disciplina fuisse videtur (1104 A, 1086 E: scholae non intererat), amicissimus autem erat.

ipso dicit, sed sublimia et excelsa verba de deo, de Apolline addit, ut pater (*amat* 763 F) „in hymnum desinit“, ita mythus auctoris sententiam verbaque illustrans ex principis et auctoris voluntate epilogum grandem libro affert (*vind*, *fac*, *gen*).

3. In dialogis iis quibus complures quaestiones continentur, singulae res per singulos principes absolvendae sunt. Una quaestio eaque postrema summa esse solet, ceterae breviter tractantur. Itaque in prioribus princeps non ita excellere potest multis verbis ut in dialogis quos tractavi: paucis adversariorum causas refellit suamque sententiam saepe ab aliis interpellatus opponit. In postrema autem quaestione principis partes paene eas adaequant, quas supra cognovimus: ubi adversarios refutavit responditque ad amicorum interrogationes, iam perpetua oratione magis docere quam persuadere incipit. Sic in amatorio: pater cap. 9 adversarios (qui c. 7—8 dixerant) refellit, proximo autem sermone multo magis principem agit: cap. 14—25 solus docet amicos qui initio saepius, postea autem inde a cap. 20 b nunquam interrogant. Laudandum autem est artificium quoddam in nonnullis libris adhibitum: auctor non eundem per omnes unius dialogi sermones principem facit, sed quoniam alius aliis rebus studet, virorum non imperitorum alii alio sermone hunc honorem tribuit, eum autem, qui postremam et summam quaestionem diiudicat, principem totius dialogi declarat. *def.*: primo Ammonius Cleombrotum convincit cap. 3—4, Cleombrotus ipse in geniorum doctrina excellit cap. 10—15, Lamprias ceteras atque summas res diiudicat, quem pro principe esse habendum sero cognoscimus: 411 D Cleombrotum ad aliam rem traducere studet, 414 C suam de oraculis sententiam pronuntiat adhortante Cleombroto, qui tamen postquam paucis assensus est (414 E) Lampriam refellit (414 E sqq.); ante 422 D (cap. 23) Lamprias superiorem se praestare non incipit. — *Pyth*: Theon principatum obtinet in sermone postremo et summo, idem iam in primo sermone Diogenianum eo

adduxerat quo volebat (c. 2—4); idem antea curaverat ut sermo differretur (c. 7); praeterea primas partes agit in sermone de donis quibusdam (c. 14—16). Neque casu accidit, quod initio statim princeps est; ab initio eius auctoritas laudanda erat, quam ceteri comprobant (397 D, 401 B). Theonem ergo per totum dialogum maximas partes agere apertum est. Serapio autem princeps Boethum refellit (c. 9—11) et Philinus parvas res diiudicat. Omnibus ergo aliquatenus principatus tribuitur excepto Diogeniano qui adulescens Delphicas res cognoscere studet, ergo docere non potest, et Boetho qui ut Epicurens aptus non erat, qui res suo modo expediret. — Quod in convivio sap. nemo ceteros tantopere antecedit ut iure princeps appellari possit, mirum non est; nam qui sapientissimorum virorum quemquam sapientissimum facere potuit auctor? Solonem[1]) autem et Thalem[2]) excellere voluit, id quod tam ex ipsius studiis quam ex virorum celebritate factum esse verisimile est.

4. Singularem principatus formam exhibet a r b i t r i u m quod in certaminibus (ἀγών) invenimus. Arbitros enim etsi alios audiunt neque ipsi sententiam rectam ab aliis alienam pronuntiant, tamen quia eorum verbis rem diiudicantibus summa fides est habenda, in eodem honore putandos esse atque principes aliis locis nostro iure dicimus. Arbitrium invenimus in libris *soll, amat, qu* I 2, 4 saepius. Mirum autem in modum arbitri Plutarchei munere funguntur; suis enim verbis saepius hunc laborem suscipiunt, sed iustum arbitrium ubi est dandum non dant.

In omnibus his libris simili modo ad arbitros causa defertur: id iam ante sermonis initium factum est *soll* (960 A), *amat* (750 A), Plutarchus arbiter in sermone statuitur *qu* I 2. Sed non eodem modo arbitrium ad finem perducitur. *amat* pater quamquam iam 752 C in Daphnaei partes se per eius adversarios traduci dicit, certamen de causa ipsa institutum tamen diiudicat, sed non tam arbitri modo quam ipse factiosus et princeps, nam quam causam probat, eam ipse explicat (cap. 9), non Anthemio, is autem disertis verbis patri suis partibus cedit 753 C. — Contra *soll* adversarii Phaedimus et Aristotimus acriter certantes recte causam dicunt, arbitri se abdicant arbitrio Soclari verbis (985 C in fine dialogi): συνθέντες εἰς ταὐτὸν ἀμφότεροι καλῶς ἀγωνιεῖσθε κοινῇ πρὸς τοὺς τὰ ζῷα λόγου καὶ συνέσεως ἀποστεροῦντας, confirmatur ergo res de qua non decertabatur. Plutarchum auctorem fugisse non potest hanc dialogi indolem repugnantiarum plenam esse. Neque sufficit ponere a Plutarcho unum librum in duas partes esse diremptum (Hirzel II 178). Etsi rem ita se habere non est veri dissimile, tamen Plutarchum aliis causis adductum esse necesse est, ut arbitrium illo modo formaret. Ut unusquisque auctor in libro quoque certum consilium atque finem persequitur, quem postremo teneat, ita Plutarchus finem assecutus esse debet. Quae si ita sunt, ab initio erat propositum demonstrare bruta esse ratione praedita (cf. p. 54). Cum tamen illud certamen instituerit, illo ipso arbitrio quo certamen non deciditur declarat tum non esse tanti momenti causam illam diiudicare quanti brutorum rationem ostendere contra eos, qui eam negent et tandem convincendi sint (τοὺς τὰ ζῷα λόγου καὶ συνέσεως ἀποστεροῦντας). Certaminis autem formam adhibuit, quod in schola eius ubi certamina usitata erant (p. 51), fortasse similis scaena acciderat, quod hac forma materies commode disponi poterat, quod certamen exemplis rationis enumerandis formam paulo vividiorem praebebat.

In hoc libro una materies distrahitur, quam rem inversam in *qu* I 4 invenimus: Crato et Theo a Plutarcho, qualis esse debeat magister convivii, ostendere iubentur; non certamen instituitur neque arbitrium ille suscipit, sed uterque eandem causam defendit; ut *soll* sententias contrarias esse coniungendas indicatur, ita hic una causa inter duos homines distribuitur. Sed arbitrium maxime mirum est in bella fabula *qu* I 2: pater et Timon frater

1) cap. 16. 19. 13. 21. 7. 2) cap. 1 sqq. 9.

causam dicunt, Plutarchus autem διαιτητὴς ᾑρημένος οὐ κριτὴς βαδιεῖσθαι διὰ μέσου dicit pronuntiatque quid sentiat; sed etiam mirabilius res evenit: Lamprias frater ut est petulans arbitrum ipsum aggreditur (νουθετῆσαι ληροῦντα δικαστήν 617 F), verbisque ipse suis parens convivarum ordinem constituit. Arbiter ergo ab alio improbatur. Factum autem tradit auctor[1]), non ipse scaenam invenit.

Plutarchus igitur quamquam arbitrium in dialogum infert, tamen nunquam plane ad finem perducit hanc formam. Quae res cum ex assensionis retentione (ἐποχή) et ex consilio et fine Plutarchi vel libelli (*soll*) orta esse videtur, tum ex principatus Plutarchei natura: arbiter cum sit princeps, retineri non potest, quin suo modo difficultati mederi conetur; ita fit, ut saepe plura ad rem afferat quam arbitrum deceat.

4. De reliquis collocutoribus et de sententiarum ordine.

Dialogi est sententiarum pugna atque conciliatio. Diversae sententiae de plerisque rebus quae a Plutarcho dialogi forma tractabantur, tum exstabant, quas si praeterisset, quaestionem non satis illustravisset. Itaque complures, saepe multas eiusdem rei explicationes proferre solet. Qua in re vario modo agere potest et agit: aut singulos collocutores suam quemque sententiam oratione perpetua exponentes facit aut unum explicantem rem inducit, cui reliqui quae obstare videantur, modo hic modo illic obiciant.

1. Primam rationem facillime nos cognituros esse puto, si luculentum eius exemplum consideraverimus; dialogum igitur de E Delphico inspiciamus atque interpretemur.

Plutarchus diversissimas sententias attulit, quibus huius E Delphici significatio explicaretur, proinde ac si quaecumque sententiae illis temporibus de eo vigerent

1) E. Graf, commentat. Ribbeckianae 59 sqq.

colligere studeret[1]). Afferuntur deinceps explicationes Lampriae („grammatisch-historisch" Hirzel II 200), Chaldaei cuiusdam, sacerdotum Delphicorum („orthodox"), Theonis Stoica, Plutarchi et Eustrophi mathematica (Pythagoreorum), Ammonii. Omnes igitur opiniones ita distributae sunt, ut unicuique eorum qui loquuntur una sententia explicanda sit excepto Eustropho, qui Plutarcho cedit; neque sententia explicata cuiquam iterum facultas dicendi datur aut se defendendi aut alios aggrediendi. Itaque hic dialogus non tam communis disceptatio est quam sententiarum ordo in dialogi formam coactus. Ammonius solus ad argumentum bis verba facit, initio enim cum res paulo ante in quaestionem vocata sit, iam pauca dicit quae in universum ad propositum attineant: rem esse dignam in quam diligenter inquiratur, cum deus ipse philosophus rebus obscuratis homines ad philosophandum adducere velit; itaque non inutile fore de ea re disputare. — Posthac iam Lamprias demonstrat quid sentiat.

Sic Plutarchus non modo ratione directa progressus ad rem venit; sed etiam ad maiores quaestiones dialogum ascensurum esse indicat. Amici vero verba eius non statim observant, sed Lamprias alii humiles sententias proferunt neque refutantur. Sed cum nemo unquam ratione atque argumentis refutetur, quinam nobis sententiam falsam esse dicere licet? Quod etsi non aperte demonstrabat, tamen indicabat auctor idque paucis verbis a proximo quoque dictis. Qua re simul efficiebatur, ut omnes collocutores cum omnibus pugnent et sententiae optime inter se conexae sint. Velut Lamprias contra Ammonium (v. supra) statim sibi simplicem quandam rationem ad aures pervenisse respondet. Etsi Lamprias quasi testimonia sententiae profert (385 F ὅτι οὐκ ἀπὸ σκοποῦ ταῦτα λέγεται, γνοίη τις ἂν ἀκούσας . .), tamen Plutarchus id efficit, ne ni-

1) Hanc ponit normam *fac* 920 B sq.: ἀναγκαῖον ἐν δυσθεωρήτοις καὶ ἀπόροις σκέψεσιν ὅταν οἱ κοινοὶ καὶ συνήθεις λόγοι μὴ πείθωσι πειρᾶσθαι τῶν ἀτοπωτέρων καὶ μὴ καταφρονεῖν, ἀλλὰ . . . . διὰ πάντων τἀληθὲς ἐξελέγχειν.

mis multum fidei ei habeatur cum et antea Ammonius humiles eiusmodi sententias probari non posse ostenderit et postea ex amicorum verbis animorumque motibus cognosci possit, quid de Lampriae sententia iudicent. Ammonius subridet, amicus quidam et sacerdotes redarguunt eum (cap. 4). Inde fit, ut ea quae Lamprias per iocum dixit non in serium convertantur neque multo pluris Lampriae opinio aestimetur quam Chaldaei sententia quam amicus ille non nominatus (ἕτερός τις) refert, qui ipse et hanc et eam quam protulerat Lamprias, graviter refutat: „ταυτὶ μὲν παντάπασιν ἐκ πίνακος καὶ πυλαίας“. Quae Chaldaei sententia ne digna quidem habetur quae postea unquam commemoretur.

Cum Lamprias verbis suis (385 F) iam sacerdotum regionem provinciamque attigerit, fieri non potest quin sacerdotes eum refellant, sed ut Plutarchus contentionum causas e medio removere studet, ita Delphicorum verba contra Lampriam dicta paene silentio praeterit (insunt in verbis οὐδεὶς ἐγίγνωσκε Δελφῶν ...), ne Lampriam postea rursus se defendentem inducere debeat neve progressum disputationis interrumpat. Id quod eo facilius assequebatur, quod in dialogo diegematico multa verba in pauca contrahere licebat. Delphici vero Lampriam reicientes occasionem praetermittere non possunt suo modo illud E explicandi. Sic vel aliquid dramaticae alacritatis quamvis procul nobis ostenditur quam desiderari multi Plutarcho vitio dederunt; sacerdotes enim inter se collocuti et ob Lampriae verba irritati Nicandrum contra dicere iubent (386 B). Quodsi aliorum sententias vel paucis vel pluribus refelli videmus, eo magis miramur quod Nicander nullo modo refutatur. Sed considera auctorem tum ipsum templi Delphici sacerdotem fuisse, cum hoc scripsisset, iam cognosces noluisse eum cives suos Delphicos offendere. Ne Theon quidem quamvis irritatus Nicandri verbis (386 C τοῖς δὲ διαλεκτικοῖς χαίρειν ἔλεγε .. ὁ θεός) ipsum aggreditur, sed defendit dialecticam. Nicandrum enim si modo particulam εἰ illo E significari vellet, non

modo interrogativam et optativam laudare, sed etiam dialecticam vim attingere oportebat. Qua ratione et sermonis alacritas vigorque augetur et sententiarum ordo ultro effici videtur. Dialecticam autem Theon dilectam multis verbis defendens ut iam antea a Nicandro repellitur ita postea refutatur ab Eustropho verbis sane magis quam ratione atque argumentis. Per iocum enim eius alacritatem irridet Eustrophus (ὡς ἀμύνει προθύμως μονονοὺ τὴν λεοντῆν ἐπενδυσάμενος cap. 7), refutationem autem non dat, sed veriorem explicationem secundum Pythagoreorum doctrinam proferri vult quam Plutarchus deinde diligentissime exponit. Qua re commotus sit auctor, ut Eustrophum praeter se ipsum Pythagoreorum partes suscipientem faceret, postea videbimus [1]).

Pythagoreorum sententia cum ab ipso libelli auctore pronuntiaretur, periculum erat, ne a multis pro vera sententia haberetur, quamquam Plutarcho ipsi cum haec scripsit Pythagoreorum disciplina iam pridem relicta Academiae doctrinam omnium gravissimam et praestantissimam esse persuasum erat. Itaque iam priusquam doctrina mathematica proferretur, aliis verbis prohibere debebat, ne nimis multum auctoritatis suis verbis tribueretur et explicare, quo iure ipse hanc sententiam defendere posset. His de causis verba illa addidit: 387 F ταῦτα πρὸς ἡμᾶς ἔλεγεν οὐ παίζων ὁ Εὔστροφος, ἀλλ᾽ ἐπεὶ τηνικαῦτα .... Sed tamen haec sententia a Plutarcho tanti aestimatur, ut sola digna habeatur quae ab Ammonio argumentis refutetur (cap. 17).

---

1) Plutarchus Pythagoreorum nomen non laudat, sed eorum doctrinam profert, quod cum efficitur Eustrophi verbis (387 E οὕτως οὐδ᾽ ἡμᾶς τοὺς πάντα συλλήβδην πράγματα καὶ φύσεις καὶ ἀρχὰς ἐν ἀριθμῷ τιθεμένους) tum verbis scriptoris ipsius (387 F ἐπεὶ τηνικαῦτα προσεκείμην τοῖς μαθήμασιν ἐμπαθῶς, τάχα δ᾽ ἔμελλον εἰς πάντα τιμήσειν τὸ μηδὲν ἄγαν ἐν Ἀκαδημείᾳ γενόμενος). Tum igitur nondum sectam Academicam sequebatur, sed aliam, Pythagoreorum sectam. Nondum Ammonio magistro utebatur neque numerorum disciplinam ab eo acceperat (Gréard, de la Morale de Plutarque p. 2). Ammonio magistro uti tum ipsum coepisse videtur.

Omnibus sententiis refutatis postremo una restat Ammonii, qui qrinceps longa oratione sermonem ad finem adducit. Haec sententia valet, non refellitur, non vituperatur, non laudatur, neque ipse alia verba adicit quae sermonem concludant neque alius alia exitus verba facit, tamquam si omnes qui aderant tantopere illius verbis permoti sint, ut nihil dicere audeant. Sic in digno argumento eius verba maximam vim habent.

Perpetua oratione ergo quicumque colloquuntur et adversarii et princeps suam quisque sententiam explicant [1]. Altercationis Platonicae in qua paucis interrogatur paucis respondetur nihil invenimus; paucas interrogationes Plutarchus Platonem sane imitatus intermittit (386 D, 391 BD, cf. 386 B). Altercatio dramatica, quae ut sermonis semper est, ita dialogi primo propria erat, periit, etsi initio aliquid eius quasi procul ostenditur (386 ABD, 387 C). Nemini unquam occasio sui defendendi datur, perraro sententia via ac ratione convincitur; irridet Plutarchus nonnunquam, raro convincit, sed sententia refutata esse putatur, cum verior opponitur. Itaque Plutarchi ratio quamquam perpetuis orationibus usus Aristotelem sequebatur, non minus quam a Platone distat ab Aristotelis ratione qui pro re et contra rem docet (p. 64). Argumentum autem magna cum arte inter amicos distributum esse negandum non est.

Iam maior quaestio oritur quam rationem secutus ille hoc ipso ordine sententias coniunxerit. Cum principem colloquii postrema verba facere aequum sit atque veram auctoris sententiam aliis refutatis tum demum diligenter explicari semper inde ab Aristotele usitatum fuerit (Cic. de fin. II 1_2), de hac re plura verba facere non opus est. Ad totum vero dialogi nostri ordinem interpretandum Plutarchus ipse nos non nihil adiuvat. Ipse enim quasi dispositionem libelli indicat sane quo dilucidiorem dialogi

1) de recta rat. aud. 4 (39 C) . . . ἀνέχηται καὶ περιμένῃ παύσασθαι τὸν διαλεγόμενον.

indolem faciat sicut semper ea quae sentit multis verbis circumscribit. In praefatione dicit non fortuito illud E dedicatum esse (384 F: οὐ κατὰ τύχην οὐδ' οἷον ἀπὸ κλήρου τῶν γραμμάτων, quam sententiam postea ne verbo quidem dignam putat), sed aut quia illud E per se singularem vim habeat aut quia pro nota signoque alterius magnae rei habendum sit (ἀλλ' ἢ δύναμιν αὐτοῦ κατιδόντας ἰδίαν καὶ περιττὴν ἢ συμβόλῳ χρωμένους πρὸς ἕτερόν τι τῶν ἀξίων σπουδῆς . .). Totum igitur argumentum bipartito distributum esse videtur. Sed cetera verba similia consideremus. Plutarchus quotiens nova sententia profertur, antecedentes uno verbo definire solet. Velut in fine cap. 4 (386 B) Delphicos proferre dicit τὴν κοινὴν καὶ περιηγητικὴν δόξαν, οὔτε τὴν ὄψιν ἀξιοῦντας οὔτε τὸν φθόγγον, ἀλλὰ τοὔνομα μόνον τοῦ γράμματος ἔχειν τι σύμβολον. Huic litterae E nomen (τοὔνομα) erat apud Graecos ei, ει, quae particula tum aliter explicatur a Nicandro, aliter a Theone qui Nicandrum excipit (itaque Theon divisionem illam non iterum profert), sed sonus et vox ε̆ (φθόγγος, „Lautwert", Chaldaeus). ὄψις quae vox idem vult atque μορφή (387 E) litterae E formam et numerum, quem inter litteras tenet significat (Lamprias et Chaldaeus), itaque fere idem atque φθόγγος valet, ut Plutarchus eandem rem duobus verbis exprimere solet.

391 F sq. (cap. 17) Ammonius dicit: οὔτε οὖν ἀριθμὸν οὔτε τάξιν οὔτε σύνδεσμον οὔτ' ἄλλο τῶν ἐλλιπῶν μορίων οὐδὲν οἶμαι τὸ γράμμα σημαίνειν, ἀλλ' ἔστιν αὐτοτελὴς τοῦ θεοῦ προσαγόρευσις καὶ προσφώνησις. Suo more binis verbis similibus sententias similes complexus sententiarum ordinem qui in dialogo exstat neglegit quasi Plutarchus alium sententiarum ordinem a se institui potuisse velit ostendere. Nam verbis οὔτε σύνδεσμον οὔτ' ἄλλο τῶν ἐλλιπῶν μορίων Theonis (σύνδεσμος) et Nicandri sententias coniungi elucet, et numerus (ἀριθμός) ad proxima Pythagoreorum (Plutarchi ipsius) verba pertinet; τάξις ordinem significat et litterarum et eum ad quem litterarum ordo transfertur; qua ratione ordine usi sunt Lamprias et Chaldaeus (cf. 386

A: εἶναι δὲ τῇ τάξει δεύτερον τό τε E τῶν φωνηέντων). Coniunxit ergo auctor hoc loco eas sententias, quibus numerus vel ordo illo E indicatus laudatur (Lampriae, Chaldaei, Plutarchi), quamquam in libello illae non se excipiunt.

Eam vero dispositionis mentionem quae ad dialogi tenorem maxime accommodata est, in Eustrophi verbis invenimus 387 E (cap. 7): ἀπάρξασθαι τῆς .. μαθηματικῆς βουλομένης αὐτὸ μὲν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ μήτε δυνάμει μήτε μορφῇ μήτε τῷ ῥήματι τὸ E τῶν ἄλλων στοιχείων ἡγούμενον, ὡς δὲ μεγάλου πρὸς τὰ ὅλα καὶ κυρίου σημεῖον ἀριθμοῦ τετιμῆσθαι τῆς πεμπάδος. Formam (μορφή) idem significare atque visum (ὄψις, Lamprias Chaldaeus) et verbum (ῥῆμα) idem atque nomen (ὄνομα, Nicander Theon) apparet. Sed quid sibi vult δύναμις? Id unum reliquum est, ut id verbum omnes sententias quae ante Eustrophi verba editae sint, complectatur. Illorum unusquisque vim (δύναμις) laudaverat, quam illud E per se ipsum habet; Pythagorei autem hunc numerum non per se ipsum (αὐτὸ μὲν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ) quia numerus sit, venerantur, sed quia signum maximi numeri sit. Quae cum primae dispositionis verbis eo usque consentiunt, ut eadem fere verba inveniamus:

385 A ἢ δύναμιν κατιδόντας ἰδίαν — 387 E μήτε δυνάμει
ἢ συμβόλῳ χρωμένους — κυρίου σημεῖον ἀριθμοῦ.

Addidit auctor illa αὐτὸ μὲν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ μήτε δυνάμει, ut prooemii verbis illis in memoriam revocatis iterum hanc differentiam eo ipso loco laudaret, ubi ad maiores sententias transiret. Nun recte intellegimus, cur Eustrophum induxerit: dispositionem totius libri dilucidam proponit antequam ad alteram graviorem partem transeat, simulque cum non omnes sententias uno tenore enumeret, ne lectorem defatiget, sollerter alacritatem auget. Nescio an praeterea plures eiusdem disciplinae adfuisse laudare voluerit neque satis decernere possumus quatenus sermonem vere habitum depinxerit.

Sed diligentius primarum sententiarum ordinem indagemus necesse est. Profecto iam gradatio ex eius verbis

elucet, quoniam a specie externa ad nomen ascendit. Ipse auctor suis verbis curat, ut Lampriae sententiam magis per iocum quam serio proferri cognoscatur (386 A). Etiam magis per iocum Chaldaei verba esse narrata utique elucet. Sententias igitur non graves primas explicari facit; fratrem autem priorem induxit, non Chaldaeum, ut fratris lingua petulantis mores observaret neve omnis sermonis gravitas interiret. Deinde Delphici Lampriae verbis irritati seque rectissime difficultati mederi putantes diutius contineri non possunt, quin ipsi nodum expediant, sentimusque, quantopere illi se verum videre sibi persuaserint, cum auctor eos compressius loqui inducat quam facere soleat. Arte cum ea cohaerebat Stoica sententia. Quam Plutarchum pluris aestimasse quam Delphicam affirmare licet, quamquam sacerdos erat[1]), cum Theoni multo plura verba tribuat quam Nicandro; nam quo quaeque sententia erat gravior, eo longiore oratione eam exponebat (comparanda sunt inter se Chaldaei Nicandri Theonis Plutarchi verba). Sed ut Stoicorum doctrinae, ita eorum laudibus dialecticae non magnopere favebat[2]).

Plus valent eorum verba qui illud E pro signo habendum esse censent, et ipsius et Ammonii verba. Dubitari non potest, quin Pythagoreorum partes ipse suscepturus non fuerit, si eos tum plane contempsisset. Immo vero eum semper huic doctrinae multum tribuisse ipse et hic docet (387 F) et in multris libris. Et hic eam multo uberius aliis tractat excepta principis Ammonii sententia.

Iam dicere licet dialogi structuram esse non modo dilucidam, sed bene consideratam. Non eas sententias inter se coniunxit quae aut numerum (Lamprias, Plutarchus) aut litterae nomen (Nicander, Theon, Ammonius) laudarent, sed aliud — paene dixi rhetoricum — consi-

1) Delphicos saepius aggreditur: *def.* 417 F, *Pyth.* cap. 2—5, 13. Hirzel II 197. Gréard l. c. 321.

2) Tirones dialecticam decere, non homines vere philosophos iudicat: de prof. in virt. 78 E sqq., de comm. not. 1073 D, de se ipso laud. 543 E sq.

lium persecutus est. Minimum valent verba iocosa, plurimum sententiae ex philosophia depromptae, a verbis absurdis gradatim ad summa ascenditur. Haec est dispositionis norma neque vero usque eo valet ut non ab ea recedatur, sed praeterea sermonis consuetudo et hominum mores respiciuntur (Lamprias). Ioci et facetiae initio disputationis maximam vim habent; et si eo spectant, ut res de qua disputetur ipsa in ridiculum convertatur, initio quam primum afferenda sunt, postea enim absurda videntur. Itaque Plutarchus iure iis in librorum initiis utitur, ut sermoni vigorem addant neve sermonem seriorem perturbent (*amat* 750 A, *conviv* 157 D). Principem postremum dicere oportet: cum tamen idem sit magister, antea discipulos cohortatur (385 B/D), eos multa allaturos esse sperat, dictisque gaudet (391 E). Quod autem in mediis sententiis distribuendis eadem gradationis norma Plutarchus usus est, et ultro paene haec gradatio se offerebat et rhetorum certe praecepta sequebatur. Etenim etiam si unum perpetua oratione utentem inducit, ita progreditur, ut a minoribus argumentis ad maiora ascendat: *suav* (1105 C, 1106 A, 1107 B), *Col*, ubi quamquam Colotis libri ordinem sequi debet, tamen ascendit ad summam rem, scilicet ad retentionis et legum vim (p. 43).

Huic ordini et toti dialogo multum similitudinis intercedit cum uno e Platonis libris: symposion dico. Perpetua oratione unusquisque sublimem Amoris vim demonstrat, ita ut a paucis neque nimis argutis Phaedri verbis ad Aristophanis bellam eandemque profundam fabulam, tum ad Agathonis dithyrambum ac denique ad Socratis mysteria summae sapientiae ascendamus: eandem agnoscimus gradationis normam. Sed apud Plutarchum una sententia est vera, in symposio etsi viri inter se pugnant, nulla oratio tota abicienda est, sed unicuique multum ut pulchritudinis ita veritatis inest, coniunctae inter se amoris vim summopere illustrant [1]).

1) Plato oratione quaque finita aliquid sermonis communis inserit itaque dialogi naturam servat, Plutarchus inter singulas orationes intraque raro eos qui adsunt colloquentes vel interpellantes inducit. Quodsi nos tamen sermonis similitudinem sentimus, id eo assecutus est quod proximus quisque cum veriorem sententiam profert respondet ad priora, quod Plutarchus suis verbis saepe aliquid quasi dramatis ostendit, quod sententiae celeriter se excipiunt; neque minimum valet, quod verba amicorum notis quibusdam morum illustravit (p. 59 sqq.).

Eadem gradationis norma ubique adhibita est:

a) cum duae sententiae perpetua oratione sibi opponuntur, falsa priore loco explicatur: *qu* I 9. II 3. 6. 10 III 4 saepius, *def* cap. 2—4, *conv* cap. 8—9, *Pyth* cap. 12.

b) ubi etiam plures sententiae afferuntur, usque ad summam ascenditur: *qu* I 5. 8. *conv* cap. 14—16 (de Epimenide), *amat* cap. 4—6 (sed hic sermo ad certum finem non venit), *Pyth* 5—7, *gen* 9—12, 20—23 [1]).

fac: prima sententia pervulgata iam initio absurda appellata (ἄτοπος 920 C) ne auctoris quidem nomen prae se fert (cap. 2); pluribus pronuntiatur atque refellitur Clearchi Peripatetica (c. 3—4); Stoicam autem quamvis multo acerbioribus verbis (921 F sqq.) tractatam maioris momenti esse apparet, nam inde contra Stoicos et contra Academicos pugna acris exoritur. Tum verbis de lunae natura intermissis Plutarchi ipsius sententia profertur mythoque confirmatur (944 B). Plutarchus igitur multas sententias collegit minimasque iam initio quamquam deinde diu etiam de alia re scilicet de luna ipsa agendum est, statim refutavit, ne postea Stoicorum Academicorumque pugnam interpellent. Lamprias autem unus cum complures sententias explicat, non suas profert, sed eas quae multis ante annis in hominum ore erant, tum non iam pro veris habebantur.

def cap. 7—15: Quomodo factum est, ut oracula multa exstincta sint? Didymus ut homo vere Cynicus culpam in hominum pravitatem confert; sed cum frustra placatus statim aufugiat, verba eius vix serio accipi possunt; tamen ab Ammonio refelluntur (413 E). Ammonius dis cul-

1) v. p. 80 sqq., paulo enim aliter res se habet.

pam tribuit (c. 8), Lamprias materiae (c. 9), Cleombrotus geniis (c. 10—15); illi explicationes plane contrarias attulerunt, hic mediam quandam ut ita dicam init rationem (414 F). Hic plurima verba facit, omnes assentiri videntur. Ammonius et Lamprias non tam explicare rem conantur quam significare quaestionem sic fortasse promoveri posse, maxime Ammonius dicta circumspicit 413 D: ὅπως μὴ τὸν θεὸν ἀναίτιον ποιῶμεν, F: λέγω δ' οἷον εἰ ταύτην λαβὼν ἀρχὴν φαίη τις ὅτι.... Itaque tamen fieri potest, ut Lamprias postea principatum suscipiens paulo aliter rem explicet atque antea. Lampriae autem sententia plus ponderis habet quam Ammonii, cum postea (c. 39 sqq.) ex parte probetur (v. p. 107); gradatio ergo certissima non deest.

def cap. 22—37 (de mundorum numero): viri Aegyptii sententia breviter narrata prima refellitur (c. 22); deinde Heracleo et Demetrius Platonis verba diverso modo, sed uterque falso interpretari conantur (c. 23). Demetrius Heracleoni iam obloquitur (423 A), sed idem Lampriae auctoritatem probat (423 B): sermo progreditur et ascendit. Lamprias suo modo Platonem interpretatur, postremo autem ipse se hanc doctrinam pro certo ponere non audere concedit (431 A).

Ut hoc loco Lamprias ita Plutarchus ipse saepe retentionem assensionis Academicam (ἐποχή) summopere laudat[1]). Id quod nobis semper respiciendum est. Nam illam secutus multas quaestiones diiudicari non vult, sicut arbitri *soll* neutris victoriam concedunt. In *qu* saepe multas de eadem re sententias explicat neque una magis ceteris laudatur, praesertim si de rebus physicis agitur: *qu* I 3. 10. II 2. 6 alias.

c) Neque haec gradationis norma non retinetur in principis oratione, cum ceteri aut nulla aut pauca verba intermittunt vel afferunt:

1) 955 C, 385 A, imprimis 1122 sqq., ubi eam acriter a Colote defendit.

san: expressis verbis indicat auctor ipse praeceptorum eorum quae a Glauco vituperata (ὡς παιδαγωγικά 124 D) primo loco tractantur, minorem esse vim, cum dicit 122 C: τινὰ τῶν οὐ μετὰ σπουδῆς εἰρημένων ἐσπάραττεν (Γλαῦκος).

suav: primum Epicureorum finis convincitur (—c. 8), deinde explicatur, quam pulchra (poesim, musicam) doctrina sua illi dimittant (—c. 14), quanta gaudia abiciant, quae reliqui capiant ex laudibus, gloria, factis (ἀπραγμοσύνη — c. 19), porro quod maius est, e religione deorum (—c. 23), tum quod summi momenti, ex immortalitatis spe (—c. 30, 1106 A, 1107 B).

2. Altera ratio adversariorum refellendorum est haec: duae opiniones opponuntur, sed non perpetuis orationibus explicantur; princeps multis verbis quaestionem tractat, adversarii quorum causam unus aut complures susceperunt, principi obiciunt identidem ea quae iis maximos scrupulos movent; quae a principe statim ratione atque argumentis refelluntur. Quibus refutatis princeps multis verbis solus quaestionem ad finem adducit. Adversarii hic diligentius convincuntur quam illic.

Dialogus ‚de sera vindicta' totus hunc in modum compositus est. Epicureo remoto Plutarchus cum Timone fratre et Patroclea genero et Olympicha collega colloquitur, qui dicere iussi „quid verborum Epicurei maxime offenderit", contrarias partes una suscipiunt. Primi Patrocleas et Olympichus singulos scrupulos afferunt (c. 2—3), contra quos Plutarchus perpetua oratione disputat (—c. 11), deinde Timon ultimam dubitationem atque maximam multis verbis in medium adducit, Plutarchus vero non perturbatus[1]) Timoni persuadere incipit eumque concedere cogit multa illius exempla magis esse ficta quam facta; multis eum refellit mythumque postremo addit. Adversarii etsi scrupulos diligenter exponunt, iis diffidunt doceri-

1) Gréard l. c. 286 sqq., qui nimis hanc scaenam Plutarchique artem laudat. Plutarchus timet, ne absurdiora Timon afferat, non argumenti gravitate terretur (557 E).

que se cupiunt, principis auctoritati fidem habent (549 E, 563 B). Plutarchus igitur magistri locum obtinet quamquam cum collega et propinquis disputat (quibus ob hanc rem nonnunquam verba discipulos non decentia tributa sunt 563 B, 549 E, 556 E, 560 A sq.). Itaque hic liber magis in scholae quam in sermonis modum compositus est, quae ratio non est dissimilis Tusculanarum Ciceronis disputationum, praesertim cum Plutarchus quoque ceteros ponere iubeat quid disseratur.

Plutarchus Epicureum removit, ut semper contentionum causas e medio tollere studet: *def* 413 Didymus Cynicus sententia pronuntiata abit; *san* Glaucus non ipse prodit, sed verba eius quibus Plutarchum vituperaverat paucis commemorantur; *suav* 1086 E ἀπίασι ἐγκαλοῦντες οἱ περὶ Ἡρακλείδην, *conv* Alexidemus increpans abit. Stoicos et Epicureos quos maxime impugnabat, raro ipsos Plutarchus inducebat; veritus esse videtur, ne tamen eos omnino argumentis refutare non valeret; disciplinarum doctrinae firmius constabant, quam ut Plutarchus se hominibus qui vere illis disciplinis toti dediti essent, persuasurum esse suis libris speraret. Fortasse id experiendo cognoverat; in schola et vita hanc pugnam non recusabat (*san:* Plutarchus contra Glaucum), sed pugnam acerrimam in dialogis pugnare nolebat, ne venustas Plutarchea interiret. Ut ab eius animo vehementia, clamor, violentia omnino aberat, ut vitam placidam agere summopere cupiebat, ita contentionem in dialogos qui vitae suae imaginem darent, inferri nolebat. Praeterea utrarumque illarum partium causae tam saepe conscriptae erant, ut auctor alteras paucis ostendere satis habere posset. Itaque si Stoicos et Epicureos redarguere in animo habebat, plerumque eorum doctrinam atque argumenta non vere defendi, sed ab aliarum disciplinarum viris proferri faciebat. Quod artificium non primus invenit, sed Platonem secutus est, qui in Republica Thrasymachum qui impugnatur ipsum removit, postea autem eius sententias ab aliis proferri fecit.

Simili modo Soclarus non Stoicus (960 B, 963 F) diu Stoicam doctrinam tuetur *soll* 960 B sqq. (bruta non esse ratione praedita). Soclarus quater Autobulo Stoicorum argumenta usque ad summum ascendens (cf. 964 C) obicit, argumentis autem singulis pronuntiatis tacet et consistit, cum Autobulum unumquodque refutaturum esse speret atque cupiat; sibi iam persuasum esse saepius confitetur 961 F, 963 F. Sic sermone recte progrediente Stoici magis magisque reiciuntur. Soclarus autem etsi diu eos defendit, non ita defendere potest ut homo vere Stoicus, quae res sane eorum doctrinae incommodo est.

Pyth 398 sqq: Boethus Epicureus oraculorum ortum divinum impugnat. Qui ubi ut miraculorum ita oraculorum eventum satis superque casu explicari cum ironia dixit, Philinus respondet; deinde cum Boethus Serapionis versus de Sibylla ab ipso recitatos (Plutarchus poetam laudare vult) irrisisset, Diogenianus eum refellere studet. Boethus autem rursus resistit sibi constans, dum Serapion talia argumenta obicit, ut diutius contra dicere non liceat (de rebus ad temporis momentum praedictis). Boethus silet etsi se victum esse non concedit, et postea etiam laudatur, quia non in contra dicendo perseveret (402 E). —

Plutarchus igitur ubi complures sententias profert, aut singulas deinceps perpetua oratione describi facit aut unum rem explicantem indicit, cum ceteri quae obstare videntur ea intermittant. Quarum rationum neutra plane a sermonis natura abhorret. Illic alter dicit, alter refellit opponitque suam sententiam, sed auctor ipse id effecit, ut is qui dicat nusquam interpelletur et sententiae hoc ipso ordine qui ad summam sententiam ascendat, se excipiant. Haec ratio (2) tum potissimum adhibetur, cum amici unius sententiam audire cupiunt suis ipsi argumentis diffidentes, sed nemo mirabitur, quod illi diligenti cura alterius verba quibus sibi paulatim persuaderi sentiunt, examinant et quod resistunt dum argumenta adversari videntur (cf. Plat. Phaed.). Adversarii hic certe di-

ligentius convincuntur quam illic ubi suam sententiam non satis diu defendunt. Praeterea hic certus sermonis progressus et alacritas laudanda sunt.

5. De interpellationum ratione.

Singulae sententiae a personis Plutarcheis, imprimis ab iis qui principatum obtinent, perpetuis orationibus afferri solent. Sed non ubique ceteri nihil intermittunt, immo in nonnullis libris saepe orationem interpellant. Et probe atque bene id accidit, cum plane a sermonis natura abhorreat ferrique vix possit, quod tantam orationem amici audiant quantam in libris *coh, san, Pyth* (Theonis) neque quicquam intermittant. Has autem interpellationes certa ratione atque consilio fieri nunc est demonstrandum.

1. Ut modo *totas* adversariorum sententias sic explicari vidimus ut principibus interpellatis argumenta identidem obiciantur, ita saepe repugnantia quamvis exigua quae verbis alterius obstare vel difficultatem parare videtur, principi opponitur.

amat 757 C (Pemptides), *Gry* 992 E. *suav* 1089 D. *conv* 154 A sq., 156 F, 157 C. *Pyth* 398 A (Boethus), 401 A. *def* 411 B, 415 D, 426 E, 431 B, 434 F.

Qua ratione auctor imprimis utitur in dialogo de facie: Lamprias et Lucius verba sodalis describunt, Pharnaces alii argumenta opponunt; non suam sententiam — Stoica Pharnacis iam est profligata cap. 5 — opponunt, sed ea argumenta ex omnibus disciplinis collecta quae cum illis congruere non posse videntur: 923 E[1]) Pharnaces, 928 E Aristoteles, 929 E sq. Sulla[1]), 933 F Pharnaces, Aristoteles, 935 D Apollonides, 937 D Theon[2]).

1) Pharnaces confirmat id quod Lucius ex doctrina Stoica irridens attulerat, sed se defendens Pharnaces hanc rem pluribus explicat eamque ita vertit, ut argumentum maxime cum Academicis pugnans contra illos excitet. Et turbat Lucium; Lamprias illud ut argumentum maximum ipse refellit (cap. 7—15). Verba ergo πρὸς τοῦτο ἐγὼ . . . ἔφην (= contra Pharnacem) sunt coniungenda, non πρὸς τοῦτο τῷ Λευκίῳ χρόνον ἐγγενέσθαι; res leviores Lucius deinde explicat (cap. 16 sqq)..

Repugnantia a Plutarcho premitur, cum aperte ostenditur. Si tamen diligenter refellitur, principis sententia eo firmiore fundamento nititur.

2. Is qui dicit adducitur — suis autem verbis eos commovet ut interrogent —

a. ut rem quandam diligentius explicet quam ille ceteros iam cognitam habere putaverit, ut ipse dicit, aut omnino praetermissurus fuerit.

vind 553 D τὰ περὶ τὸν Βέσσον . . . οἶσθα δήπουθεν, ὦ Πατροκλέα. Μὰ Δι' εἶπεν, ἀλλὰ δέομαι μαθεῖν. 560 D οἷα καὶ Κόρακι χρησθῆναι λέγουσιν . . . Καὶ ὁ Πατροκλέας, Τί δ' ἦν, ἔφη, τὸ χρησθὲν ἢ τίς ὁ Κόραξ οὗτος; ὡς ἐμοῖ καὶ τὸ πρᾶγμα ξένον. Οὐδαμῶς, εἶπον, ἀλλ' αἴτιος ἐγὼ παρωνύμῳ χρησάμενος.

conv 146 F, 162 C (ἀκήκοας γὰρ ἴσως τὸν λόγον. Οὐκ ἔγωγε . . .) *de E* 391 B. *def* 421 E. *amat* 760 E (ἴστε δήπουθεν . . .).

b. aut ut rem pluribus explicet cum suam sententiam cum aliis non congruere indicaverit: *amat* 765 E εἰ μή τι καὶ ὑμᾶς ἀναπεπείκασιν οἱ γραμματικοὶ . . . πρὸς τὸ ποικίλον γεγονέναι τὴν εἰκασίαν. Καὶ ὁ Δαφναῖος πρὸς τί γάρ, ἔφη, ἕτερον;

757 E pater dicit *se* quidem hominem non minorem putare: ἐγὼ μὲν γὰρ οὐδὲ . . . ἡγοῦμαι, ὦ φίλε Δαφναῖε . ., qua re Daphnaeum quasi iubet interrogare: τίς δ' ἄλλως, ὦ πρὸς θεῶν;

cf. *Pyth* 400 D, *Gry* 992 C: quae princeps dixit,' alii per admirationem iterant: cum iis non iam id persuasum sit, difficultatibus principes mederi cupiunt. *def* 418 A.

c. aut ut ea pluribus proponat quae paulo ante le-

1) Sulla qui de magna difficultate se audivisse demonstrat, laudatur, cum se rei non imperitum praestet.

2) 937 D magis duae sententiae opponuntur quam repugnantia demonstratur, cum Theon diligenter et multis verbis rem explicet.

viter perstrinxerit (novam orationis partem paululum a proposito alienam incipere demonstratur):

amat 764 A Εἰπόντος δὲ ταῦτα τοῦ πατρὸς ὁ Σώκλαρος ‘ὁρᾷς’ εἶπεν ‘ὅτι δεύτερον ἤδη τοῖς αὐτοῖς περιπεσὼν οὐκ οἶδ’ ὅπως βίᾳ σαυτὸν ἀπάγεις . . .;

cf. *def* 420 E: Ammonius a Clombroto petit, ut explicet fabulam quam 420 A promiserit: ὃν ἄρτι ἀφῆκε λόγον ἀναλαβεῖν δίκαιός ἐστι. Et 421 E respicitur ad 420 E.

d. aut ut mythum enarret, ubi princeps se narrare cunctari simulat veritum, ne nimis ei fides haberetur:

vind 561 B ἔχω μέν τινα καὶ λόγον εἰπεῖν ἔναγχος ἀκηκοώς, ὀκνῶ δὲ μὴ φανῇ μῦθος ὑμῖν· μόνῳ οὖν χρῶμαι τῷ εἰκότι. Μηδαμῶς, εἶπεν ὁ Ὀλύμπιχος, ἀλλὰ δίελθε κἀκεῖνον. cf. 563 B.

gen 589 F οὐκ οἶδα μὴ σιωπᾶν ἄμεινον. Μηδαμῶς, εἶπεν ὁ Θεόκριτος, ἀλλὰ δίελθε . . .

3. Is qui dicit ceteros commovet, ut paucis assentiantur — Socratiam convincendi rationem saepe isdem verbis usus sequitur auctor —;

a. assentientes iidem admonent ut plura dicat aut prohibent:

de E 391 B πάνυ μὲν οὖν, ὁ Εὔστροφος ἔφη, τί δ’ ὅμοιον πέφυκεν, οὐ συνορῶ.

391 D ἦ γὰρ οὐχ οὕτως ἔχει; καὶ ὁ Νίκανδρος ‘οὕτως’ ἔφη ‘ἡ δ’αἰτία πρὸς ἑτέρους ἄρρητόν ἐστι’.

suav 1096 F Plutarchus quem Theon assentiri cupit ut magistrum, consentit et pergere iubet; similiter *Gry* 988 E: Ulixes prima parte absoluta admonitus (non responsum petit Gryllus) admiratur eius dicendi artem magis quam assentitur, sed plura audire cupit.

b. eam rem concedi vult princeps, unde rem maiorem colligere in animo habet; ii affirmant qui antea aliquid opposuerant:

vind 552 DE concedunt amici (πάνυ μὲν οὖν, ἔφασαν), Plutarchus concludit eosque adducit, ut etiam id assentiantur (ἐμοὶ μὲν γὰρ ἔφην δοκεῖ. Καὶ ἡμῖν, ὁ Πατροκλέας εἶπεν).

558 AB bis Plutarchus Timonem concedere aliquid cogit, ut eum ad absurdum ducat. 561 E. *def* 416 A (συνέφησεν ὁ Δημήτριος). *Gry* 987 AB (bis). *amat* 757 C ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Πεμπτίδου θεὸν ἡγεῖσθαι τὸν Ἄρην . . . ἀνακραγὼν ὁ πατήρ ‘εἶτ’’ ἔφη ‘τὸ μὲν παθητικὸν . . . Pemptides qui difficultatem ostenderat, ipse concedens convincitur (Hubert p. 8).

758 CD (sed hic assensio maioris est momenti quam conclusio).

c) Laudat alter eum qui dicit vel eum de quo dicit, sed ut nunquam assensionem solam invenimus, ita cum laudis verbis semper coniuncta est aut causa aut alia sententia quae sermonis progressum adiuvet:

fac 931 D: εὖ γε, ἔφην, ὅτι καλῷ λόγῳ καλὴν ἀναλογίαν προσέθηκας· οὐ γὰρ ἀποστερητέον σε τῶν ἰδίων.

921 B ὡς ἴδιον καὶ καινὸν τὸ σκευώρημα . . ., ἀλλὰ πῇ τὸν ἔλεγχον αὐτῷ προσῆγε; *amat* 762 D. *suav* 1096 F.

4. „Senior aliquis adhortatur iuniorem“ (Hubert p. 81):

amat. 753 B/C. *de E* 386 E. *def* 414 D. 418 D. *gen* 583 D Epaminondas efficit ut frater se adhortetur.

5. Versus recitari facit: *def* 422 C, *amat* 763 A, *fac* 923 F.

Ergo nisi repugnantia premitur, principem ipsum talia verba pronuntiantem facit auctor fere semper, qualibus alii commoveantur, ut interrogent aut assentiantur. Nimirum sermonis natura prohibet, ne omnes interpellationes nimis certis regulis concludamus, sed longe plurimis locis ex certo consilio auctorem aliorum verba intermisisse nunc nemo non intellegit. Et paucis eis locis qui non consentiunt cum illis quos supra tractavimus, facile per se explicari potest, cur oratio interpelletur, velut:

vind 560 A: Olympichus quaerit, num ille animam immortalem esse statuat. Nos a dis poena affici putari non potest, nisi deorum providentiam posuimus, neque providentia probe ponitur, si animam esse mortalem putamus. Itaque qui alterum ponit is alterum concedit

(cap. 18 εἷς οὖν λόγος ὁ τοῦ θεοῦ τὴν πρόνοιαν ἅμα καὶ τὴν διαμονὴν τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς βεβαιῶν). Non opus erat hoc loco immortalitatem commemorare, sed Plutarchus significare voluit illam vel inde demonstrari posse, quod liberi propter parentum culpam poena afficerentur. Quod ut efferret, hic (cap. 17) pauca addidit, quia capita 16 et 18 ad immortalitatem pertinent. Quae res cum a proposito paululum recedat, non Plutarchus ipse, sed alius quidam id ostendere debebat. Sed Olympichus ipse quoque Plutarchi verbis adducitur (ἔοικας . . . ὑποτίθεσθαι . . .), ut eum plura de ea re dicere iubeat.

fac 920 F: Apollonides quaerit quae fuerit Clearchi sententia: res est similis atque ea quam antea commemoravimus (2 a). Lamprias plura de hac re indicaverat et facit, ut rogetur, ut explicet. Auctor Lampriae orationem longam variare studebat. Ex hac quaestione etiam factum est, ut 921 B Apollonides idem Clearchi sententia explicata quaereret, quomodo refelleretur (Ἀπολλωνίδης φιλομαθής).

fac 922 F: Stoicorum de facie sententia erat profligata; si Lamprias deinde suam explicavisset, non bene accidisset, quod quattuor deinceps sententiae enumerarentur. Etiam maioris momenti est quod Lampriae explicatio intellegi non potest nisi lunae natura descripta; unde iterum inter Stoicos Academicosque pugnatur. A facie igitur ad lunae naturam transeundum erat. Quem transitum auctor ut cogitationum tenorem nimis abruptum aspernabatur, quam plurimum obscurabat, cum Pharnacem dicentem fingeret: „Satis aggressi estis, defendite vos ipsos!“ et tum quasi casu causam communem atque minime certam obicientem faceret: ἄνω τὰ κάτω τοῦ κόσμου ποιούντων. Sed hac ipsa re obiter perstricta auctor utitur, ut contra Stoicos pugnet suamque sententiam de lunae natura adiungat, ut saepe parva res et in vita nostra et in dialogis magnum sermonem excitat: *gen* 580 F sqq., *amat* 755 E, *def* 421 E. Est ergo 922 F singularis quidam transitus

in quo formando adhibitum est argumentum, quod Academicis saepe obiectum erat.

6. De schola, de argumentis sociatis, de fabula.

Iam saepius nobis observabatur scholam a Plutarcho in dialogos illatam esse. Cuius vestigia cum in dimidia dialogorum parte videamus, profecto ille multum temporis atque operae in scholis habendis contrivisse putandus est sicut Cicero Tusculanas disputationes in quibus scholae rationem in Academia usitatam tradidit eo tempore scripsit, cum saepius cum adulescentibus „scholas Graecorum more habere“ coepit (Tusc. I 4, 7). In quibus ut Ciceroni dialogi forma non multum curae erat — post paucas interrogationes iam oratione perpetua uti incipit — ita Plutarchus nonnunquam (*Col*, *san*[1]) magis orationem in schola habitam quam disputationem reddebat. In aliis eius modi libris tamen Plutarchus dialogi alacritatem adicere conabatur: arbitrium instituit aut discipulos, non magistrum disserentes inducens complures principatus participes facit; principis ergo partes nimis magnas deminuebat. Sed nihilominus sermonis vivum vigorem plerumque desideramus. Res proposita adulescentibus non tam cordi est quam hominibus Platonicis quibus quaestiones de quibus agebatur quasi necessitate quadam ortae esse videntur. Adulescentes ipsi diu secum deliberant, quam rem sibi tractandam proponant (*suav* 1087), pugnant contra eas sententias quarum tutores non adsunt, loquuntur ut homines bene educati atque eruditi de omnibus rebus quas apud magistrum didicerunt; sic illi magis exercitationis (μελέτη) causa colloquuntur quam ut veritas indagetur, velut Lucius ipse se exercitationem instituere dicit: *fac* 932 D μελέτην ποιήσωμαι . . .; Νὴ Δία, εἶπεν ὁ Θέων, τούτοις ἐμμελέτησον. Adversariorum sententiae

1) Etiam libri de coh. ira argumentum et eius tractatio ut illis libris ita scholae est similis.

certe non aeque in his libris (*suav, Col, not*) tractantur, quia nemo eas vere tuetur, cum magistri doctrina non sine studio afferatur. Sed cum dialogi sit pugna, hanc iniquitatem in uno ex illis libris schola cum vero sermone coniuncta sustulit auctor, cum Pharnacem alios Academicis obloquentes fecit (*fac.*).

Schola dialogorum suavitatem non adiuvabat, multum autem ad hanc rem valebat, quod Plutarchus fabulam cum sermone coniungebat et quod complures sermones in unum librum cogebat. In quattuor libris Plutarcheis f a b u l a cum sermonibus sociatur: *conv, Pyth, gen, amat*; sed vario modo momentum illa affert: Convivium est librorum forma inde a Platone usitata neque certum propositum sibi flagitat, sed post Platonis symposion quaevis quaestio in eiusmodi libris tractabatur. *Pyth*: ambulant inter mira Delphorum loca fabulaque ita infertur ut viri, cum de miraculo quodam colloquantur, in eo ipso loco in quo miraculum est versentur. Sed *amat* et *gen* actio quaedam ipsa in sermones inserta est et cum iis sociata. Ubi auctor ipse se fabulam adiungere et quasi drama componere studuisse disertis verbis nos docet: *amat* 749 A recusat scaenae poeticum colorem adicere, „immo“ pergit „εὐθὺς ἡ πρόφασις ἐξ ἧς ὡρμήθησαν οἱ λόγοι, χορὸν αἰτεῖ τῷ πάθει καὶ σκηνῆς δεῖται, τὰ τ᾽ ἄλλα δράματος οὐδὲν ἐλλείπει· μόνον εὐχώμεθα τῇ μητρὶ τῶν Μουσῶν ἵλεων παρεῖναι καὶ συνανασῴζειν τὸν μῦθον“. et 753 B pater dicit: „ἡμῖν τοῖς οὐκ ἀρνουμένοις οὐδὲ φεύγουσι τοῦ περὶ γάμον ἔρωτος εἶναι χορευταῖς“.

Χορός, χορευταί, haec verba optime rationem illustrant, quae inter actionem et sermones in isto libro et in libri *gen* maxima parte intercedit. Nam ut in tragoedia [1]) chorus de rebus gestis iudicat adiungitque cogitationes sublimes de his rebus vel similibus, ita sermones dialogi

1) Quam Plutarchum diligenter legisse et locorum ex Aeschylo Sophocle Euripide citatorum numerus demonstrant et similitudines inde allatae (velut *fac* 940 F).

actionem comitantur atque eas quaestiones tractant, quas hominibus attentius de iis quae aguntur cogitantibus oriri opus est. At priusquam diligentius quaeramus quomodo actio cum sermone cohaereat, necesse est in aliis dialogis a r g u m e n t o r u m c o n e x u m et coniunctionem qua ratione facta sit inspiciamus, cum illic quoque de compluribus argumentis agatur.

Plutarchus saepe de pluribus quaestionibus in eodem dialogo disputabat, quas non fortuito neque casu in unum coactas esse putabimus ab initio atque exspectabimus; nam librum esse per se plenum atque unum oportet. In sermone nostro cotidiano sermonis argumentum facile ac saepe mutatur et cogitatio quaedam temere obiterque intermissa longe alias disputationes maximi momenti afferre valet. Quo more etsi in dialogo uti licere, cum dialogum iusti sermonis imaginem atque similitudinem exprimere velimus, auctori concedendum est [1]), tamen postulare aequm est, ne argumenta nimis distantia casu conectantur. Itaque argumentorum diversorum vinculum quoddam invenire studebimus, explicationibus autem quaesitioribus abstinebimus.

fac: quomodo argumenta cohaereant elucet: quid sit facies lunae — quod est summum argumentum (cap. 1) — secundum Academicos, recte intellegi non potest nisi natura lunae cognita; qua de natura cum homines non consentiant, antea domonstrandum est lunam esse materia terrena (cap. 7—15) illuminarique a sole (cap. 16—23). Non autem necessario adiunctae sunt disputationes de solis et lunae defectionibus (cap. 19—21) et de luna habitabili (cap. 24—25); at etiam istae cum re proposita tam arte conexae sunt, ut eas non esse ex argumento vix sentiamus, cum defectiones ad illuminationem demonstrandam usurpentur (931 D, cap. 19), altera quaestio cum lunae materia coniungatur (937 D, cap. 24); sed facies ne inter has quidem partes neglegitur (928 F, 935 C, 937 D, 944 B).

1) *gen* 580 F sqq., *fac* 922 F; Tac. dialg. cap. 14 sqq.

Omnes autem explicationes, non modo faciei descriptio postremo Sullae mytho confirmantur: facies = 944 B, luna terrena 943 E, (illuminatio 943 A), defectio 944 A, habitatur luna per genios 943 D. Libri ergo nomen non omnia argumenta complectitur [1]), cum auctor quaecumque de luna erant pronuntianda conscripserit, sed id tamen egit ille, ut inter se cohaererent.

Non minus bene *soll* duo argumenta coniunxit. Vult demonstrare bruta esse ratione praedita (p. 31), cuius rei adulescentes de terrestrium et aquatilium sollertia certantes multa exempla afferunt. Sed cum a Stoicis et Peripateticis ratio brutorum acerrime negaretur, illi propria argumentatione in eodem libro repellendi erant, ne quaestionem illam indiligenter institutam esse iure obici posset. Quae refutatio cum fundamentum certaminis esset — nam in certamine pro certo ponebatur illis inesse rationem —, illorum argumenta ante certamen dissolvenda erant. Ita factum est, ut primo in universum de animalium ratione disputaretur, deinde singula rationis exempla afferrentur. Prima igitur pars certamine ut ita dicam illustratur, id quod ab Autobulo ipso quoque confirmatur, cum adulescentes exempla verborum suorum allaturos esse declaret (cap. 4. 5). Sic argumentorum coniunctio non nihil valet.

Auctor ergo hic ut iam exspectari poterat consulto et considerate, non fortuito proposita coniunxit; difficilior autem haec quaestio oritur in ceteris dialogis. Libros *def, Pyth, gen* quoniam in altera opusculi parte per se tractare mihi proposui, nunc praeteream. Iam venimus ergo ad libros supra commemoratos: *conv, amat.*

In convivio multi et varii sermones coniuncti sunt quos ad certum eundemque finem omnes spectare si quis poneret, nunquam auctoris consilium interpretaretur; id quod vel inde sequitur quod saepe alterius disputationis finis itaque alterius initium disertis verbis significatur

---

1) Adler, Dissert. Vindob, X; Pohlenz in censura huius libri quam scripsit Berl. philolg. Wochenschr. 1912.

(154 D τέλος δὲ καὶ τούτου τοῦ λόγου λαβόντος, 155 E) [1]). Sed auctor consulto diversas res tractans id agebat, ut sapientium illorum qui dicuntur dicta [2]) atque facta [3]) colligeret et conscriberet adiungeretque res miras [4]) illorum temporibus factas. Non omnia autem argumenta ad has res referri possunt, sed cum saepe idque maxime initio de convivio ipso instituendo [5]) quaeratur, auctorem normas quasdam convivii inserere studuisse apparet, quae a sapientibus pronuntiatae eo maiorem vim haberent. Convivium quod iure sapientibus in eodem loco inter se disputandi occasionem daret, ipsum hic argumenta adducebat,

---

1) Qua in re Xenophontis symposion imitatus esse videtur Plutarchus, ubi similia verba invenimus: 45 οὗτος μὲν δὴ ὁ λόγος ἐνταῦθα ἔληξεν. 410. 50. 64. 91.

2) Vide quantopere in libri fine dicta celeberrima quae antea inserere non potuerit, addere festinaverit: 164 B γνῶθι σεαυτόν, ἐγγύα πάρα δ'ἄτα, μηδὲν ἄγαν (163 D). Pauca alia afferam: Omnes breviter dicunt, quid de tyrannis sentiant 152, quid de republica (δημοκρατία) 154 D, oeconomia (οἰκονομία) 155. Solon: ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς κτλ. 155 F., Thales: γῆς ἀναιρεθείσης σύγχυσιν τὸν ὅλον ἕξειν κόσμον 158 C, δεῖ τὰ μὲν εἰκότα λέγειν, τὰ δ'ἀμήχανα σιωπᾶν, δεῖ τοῖς ἔχθροις καὶ περὶ τῶν πιστῶν ἀπιστεῖν, τοῖς δὲ φίλοις καὶ τὰ ἄπιστα πιστεύειν 160 CD, ἐν πᾶσι . . . μέρεσι τοῦ κόσμου ψυχή 163 C. Pittacus 147 BC, 155 F, Cleobulus 157 A. Neque imprudenter factum est, quod non sua quisque dicta affert, sed alter alterius verba laudat.

3) Thaletem altitudinem pyramidis esse dimensum 147 A, Solonem tyrannidem recusavisse 147 C, Periandrum optimos cives non necavisse 147 D, Biantem linguam ut optimam pessimamque carnem victimae exsecavisse 146 F.

4) Quod Arion mire servatus ad Periandrum pervenit (160 D sqq.) similes fabulas movet Hesiodi (162 C), puellae Lesbiacae (Pittacus 163 A), Cypseli, Periandri patris (163 F).

5) ἐστί τις παρασκευὴ δειπνήσοντος 147 E; eorum qui invitabantur nomina cognoscere (Chilonis) interest 148 A, domum lucum hospitis aliaque spectare oportet, ne quis illius magnificentiam contemnere videatur 148 B; quo ordini vivi accumbant, nihil refert: Thales locum ab Alexidemo spretum sibi sumit 149 F, feminae convivio intersunt (Eumetis innuba sedens) 150 B, sed mature ante pocula maiora exeunt 155 E; cena frugalior est 150 C, vinum quaestiones solvere iuvat 150 B sq., de tibiis in libatione adhibendis 150 D sq.

cum alii convivii formam usitatam ab id unum adhiberent, ut multas et varias res in unum librum cogerent. Argumenta ad duos fines spectant, sed isti fines inter se coniungi non possunt.

Fabulae autem atque sermonum finis est idem in amatorio. Sermonum commune quasi fundamentum est amor; sed „video quattuor disputationes, quarum prima confertur Amor nuptialis cum puerili satis festinanter, altera deliberatur, num impediendum sit, ne adulescentulus a vidua natu maiore et divite domum ducatur, tertia pater Amorem deum, quarta Amorem, et praecipue muliebrem, bonum et honestum esse demonstrare studet; neque habeo, cur hanc vel illam ex hoc numero ceteris superiorem putem; immo ad suum quaeque spectat finem [1])“. Quibus disputationibus ipsis non est unus finis propositus ut Hirzel alii putaverunt, sed „copulatae inter se non sunt nisi narratis rebus Thespiacis“; fabula et actio quae praeter sermones et inter progreditur, cum sermonibus ita coniuncta est, ut ne ordo quidem illorum casu constitutus sit. Initio cognoscimus quae causae Bacchonis et Ismenodorae matrimonio obstent: divitiae aetas amor neque non Peisias qui „sua ipsius causa Bacchonem matrimonio arcere“ studet. Id puerilis amoris argumentum Plutarchus etsi diligenter tractare recusabat tamen ut Boeotus praeterire nolebat; sed quia ob Peisiae vehementiam vix ad consensionem perveniri poterat haec quaestio ne disceptatur quidem hoc loco [2]). Tum dissolvuntur a Plutarcho quae causae maxime obstabant, mulieris divitiae aetasque. Iam res illae 749 B—F ab auctore narratae per sermones utrimque illustratae sunt; intelleximus quas

1) Hubert, de Amatorio p. 40 sq.

2) Rectissime monet Hubert p. 40 librum non ideo, „conscriptum esse, ut matrimonium et amor mulierum comparatus cum puerili laudibus efferrentur“; at quid ipse de amore puerili sentiret, celare nolebat Plutarchus, immo aperte et per Daphnaeum demonstrat 751 C sqq. (ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία πρὸς ἄρρενας) et ipse 768 E sq. (τὴν πρὸς ἄρρεν' ἄρρενος ὁμιλίαν, μᾶλλον δ'ἀκρασίαν καὶ ἐπιπήδησιν) alias.

in partes Plutarchus ipse vergat; actionem progredi necesse est: hoc ipso temporis momento nuntius affertur Bacchonem esse a mulieribus raptum. In tragoedia chorus Amoris vim atque potestatem praedicaret, in dialogo cuius est sententiis pugnare, amor num deus sit in dubitationem vocatus deus esse demonstratur, saepe autem eum nulli deo potentia cedere effertur. Qui hos sermones instituunt, etsi in prima parte medium quendam locum inter chori actorumque partes obtinent, hic certe chori munere funguntur. Sed nondum certus est fabulae exitus, nondum sunt Thespiae pacatae neque Peisias. In lacuna illa magna 766 E alterius disputationis finis, alterius initium periit; sed praeterea aliquid actionis perisse videtur; nam cur viri revertuntur Thespias? cap. 26 enim eos propius ad Thespias accessisse apparet (771 D τῶν Θεσπιῶν ἐγγὺς οὖσιν et οὐ προάξετε θᾶσσον;), quod consilium proficiscendi in lacuna illa captum esse perspicuum est. Nam tertia disputatione finita quarta movetur, qua „Amorem et praecipue muliebrem bonum et honestum esse demonstratur“, quam quaestionem ut ceteras ex actione oriri necesse est. Cur igitur revertuntur? Hubert (p. 18 sq.) eos litis componendae causa ne Amor irasceretur profectos esse censet; at tam sero et tam lente (771 D οὐ θᾶσσον;) veniunt? Amor muliebris laudari non potest antequam res ad bonum exitum pervenire certum est. Itaque mihi est verisimile venisse nuntium ut 771 D Peisiae ita antea Anthemionis qui rem videri bene verti nuntiaret, ne nimis diu de exitu illi dubitarent. Amor vincit et Ismenodora; nuptiae iam apparari possunt; itaque chorus simul de matrimonio futuro cogitans admonensque honestatem amoris muliebris matrimoniique praedicat; quod nunquam si amor adsit in petulantiam exire posse — ne tum quidem cum tantum facinus mulier ausa sit quantum Ismenodora. Quae res et sermonis (771 D) et matrimonii exitu (Hubert p. 43) comprobatur.

Cum Plutarchus sicut in his libris complures sermones copulat, una quaestio eaque plerumque postrema summa

esse solet, qua re accidit, ut ceteris quaestionibus non ita multum spatii relinquatur. Itaque non iam perlonga oratione suam quisque sententiam proferre potest, sed paucis verbis contentus esse debet. Cum auctor tamen etiam hic diversas sententias afferat, fieri non potest, quin isti sermones breves multo alacrius habiti esse videantur quam illi quorum unus totum librum explet. Hic dicta et responsa celeriter alternantur, in his magnam partem venustas Plutarchea posita est. Quam pulchre sapientes Amasis quaestionem absolvunt (*conv* 151 C sqq.), aut Theon princeps cum Diogeniano adulescente veram causam indagare studet (*Pyth* p. 94); idem cognosces, si comparaveris dialogos *gen*, *Pyth*, *conv* vel Grylli initium. Sed plura de his sermonibus brevibus dicere differam, quoniam illorum exempla postea in dialogis *gen* et *Pyth* cognoscemus.

Plutarchus ubi fabulam cum dialogo copulabat, non eandem formam adhibebat. Etsi ut in convivio sap. ita in ceteris huiusmodi dialogis aliorum auctorum vestigia sequebatur, certe consulto formam variare et mutare studebat. Eodem variationis consilio factum est, ut quamvis saepe dialogum in scholae modum componeret, ne in iis quidem eo fatigaret, quod eadem forma nimis saepe uteretur: in *Col* ut in diegematico ipse loquitur, in *san* narrari orationem ab alio facit, in *soll* certamen instituit, in *suav* adulescentes coram illo inter se Colotem refellunt, in *fac* etiam adversarii ipsi intersunt, in *de E* Ammonius cum multis variarum disciplinarum adulescentibus disputat. Sic quia Plutarchus semper dialogi formam variare studet, eius componendi rationem in nimis certas normas concludi non posse consentaneum est; parvi dialogi magis inter se similes sunt quam magni: ubi una tantum explicatio affertur atque unus in ea re valde excellit, haec sententia oratione perpetua exponitur: *san*, *coh*, *Col*; sed cum in libris maioribus plura argumenta tractentur, auctori magis variare dialogi tenorem et argumentorum conexum licuit. Qua de causa factum est, ut et nonnullis

dialogis primo obtutu non multum similitudinis esse videatur cum aliis Plutarcheis et de unius libri forma utrum Plutarchea sit necne contentio orta sit (de communibus notitiis, p. 109). Sed Plutarcheae compositionis rationem tamen satis perspici posse iam demonstravisse mihi videor. Restat ut de dialogorum hominibus pauca dicamus.

7. De hominibus.

In Plutarchi ethopoeiam artemque scaenicam diligentissime Hubert (de Amat. p. 58 sqq.) inquisivit; itaque non multis haec absolvamus. Plutarchus homines plerumque ita illustrat, ut eos motibus quibusdam esse affectos cum per illorum verba describat tum ipse dicat (l. c. p. 64): risu [1] (ἐπιγελάσας, διαμειδιάσας κτλ.), ira (ἀγανακτῶν), ardore certandi (ἔτι δ'αὐτοῦ λέγοντος ὑπολαβών), admiratione. „Simplicissimos" ergo „affectus attribuere solet eiusmodi, qui uno plerique nomine nominari possint". Neque sensim „affectus nascuntur atque crescunt . . ., sed singulis locis subito affectus efflorescere solent". Saepe auctor ipse personas paucis describit neque plura de illis cognosci possunt (Hubert p. 72): *Col* 1108 ubi e multis qui scholae intersunt, unum descriptum videmus; item *conv* 150 A. Plutarchus cum plerumque amicos et familiares induceret, saepe homines non ita diligenter describebat, quia amicis quos libros ante alios legere volebat, iam nomine ipso hominem ante oculos poni putabat (ὁ Σύλλας, ὁ Τίμων aut uno verbo addito ὁ κυνικὸς Δίδυμος, cf. imprimis *qu*; quin etiam suis verbis indicat personas legentibus esse notas: οἶσθα γὰρ δὴ Θέωνα 386 D, cf. p. 6), saepe eo diligentius describebat, ut illi qui legerent cognitis amicorum moribus studiisque gauderent; haec est

1) Quod Wilamowitz (Hermes 25 p. 1961) Plutarchum vituperat quod homines saepissime ridentes facit, Graeci ut homines vehementiorum animorum saepius risisse videntur quam nos, cf. Platonis Phaedonem, ubi non minus decies risus movetur; ne in Hermae pastore quidem risu multo abstinent.

suavitas quaedam proprie Plutarchea; nos nimirum multas notas obiter significatas intellegere non iam possumus. Sed plerumque auctor magis suis verbis quae in dialogis diegematicis praeter sermones intermittere licebat quam ipsorum orationibus mores demonstrabat, omnes isdem motibus afficiuntur, isdem verbis et similitudinibus utuntur; libri autem non desunt, in quibus illorum verba propriis notis ornaverit. Omnino Plutarchus non in omnibus libris personas eadem cum diligentia describebat. Quae Zeuxippi et Moschionis (*san*) vel Sullae (*coh*) propria sint, non video. In nonnullis autem dialogis summa cum industria personas ita illustravit, ut imaginem atque similitudinem vere videre possimus; ex quibus ubi exempla pauca attulero, nos ethopoeiam Plutarcheam non parvi aestimaturos esse spero.

Summam operam collocavit ille in dialogo de *E* elaborando. Ammonius senex cum multis adulescentulis diversarum disciplinarum ad quos sacerdotes et periegetae se applicaverunt, Delphis versatus de rebus Delphicis sermonem instituit. Si etiam plures viri maiores natu adfuissent, Plutarchus eos silentio transire non poterat. Ammonium ergo magistrum nobis ostendit, ut adulescentibus familiariter uti et sermones atque quasi scholam cum iis habere solitus sit. E quibus Theon et Lamprias diligentissime sunt descripti.

L a m p r i a s (ὁ ἀδελφός 385 D) ut est lingua petulans et ad iocandum promptus (*qu* 726 D, 740 A ὑβριστὴς καὶ φιλόγελως φύσει) primus facultatem dicendi arripit atque talem sententiam profert qualem ab ipso fictam esse et facile cognoscitur et Plutarchus significavit (386 A Ἀμμώνιος ἡσυχῇ διεμειδίασεν ὑπονοήσας ...). Atque insolentia usque eo progreditur, ut se ab aliis cognovisse simulet neque omnia ficta proferre vereatur, quamquam sacerdotes Delphici adsunt, qui eum extemplo mendaciae convincere possunt.

Non minus promptus lingua quam Lamprias est T h e o n adulescens, quem animo ferventi et iracundo esse

amici sciebant (386 D οἶσθα γὰρ δὴ Θέωνα τὸν ἑταῖρον). Nicandri verbis (τοῖς διαλεκτικοῖς χαίρειν ἔλεγεν .. ὁ θεός) irritatus ilico exardescit atque vehementibus verbis (unde dicit περιυβρισμένη διαλεκτική) ab Ammonio veniam defendendae a Nicandro dialecticae petit. Elegantius autem Theon eo describitur quod eius genus dicendi proprias quasdam notas exhibeat. Profluens est oratio et non sine impetu et paene plures periodi exstare videntur quam in aliorum verbis. Sed imprimis id casu accidisse non potest, quod saepissime, id quod ferventis ingenii est, superlativis formis Theon utatur: 386 E sqq.: διαλεκτικώτατος ὁ θεός, μεγίστην ἔχει δύναμιν, τὸ λογικώτατον σχηματίζων ἀξίωμα, τὴν κυριωτάτην ἀρχήν, ᾧ μάλιστα καὶ πλείστῳ προσχρωμένους, Ἡρακλῆς ... μαντικώτατος ὁμοῦ καὶ διαλεκτικώτατος. Quasi Plutarchus eum quo infirmior demonstratio est eo pluribus superlativis utentem finxerit (quamquam Theonem cum Stoicorum doctrina consentire non nescio). Modum nimis acriter excedere Theonis fuisse videtur; Plutarchus eum, sicut Eustrophus postea (387 E), per iocum irridet et simul Stoicorum dialecticam.

Quod Plutarchus amicos hic diligenter descripsit, certe dialogi vim admodum auget praeter alias huius libri pulchritudines. Sed ne in dialogo *soll* quidem, ubi in certamine orationes longissimae sermonis vim quam plurimum debilitant, omisit auctor utrumque adulescentem propriis diversae indolis notis ornare similiter atque in Platonis Phaedone Simmias et Cebes suam quisque indolem praestant[1]).

A r i s t o t i m u s qui primus animalium terrestrium sollertiam defendit, saepissime illusionis et contemptionis plenus aquatilia aggreditur (cap. 9, 14 in., 22), quorum tutor Phaedimus tum ne dixerat quidem sententiam; tantopere ille se victurum esse confidit; et certus victoriae idem ubi Phaedimus finivit arbitrium postulat (984 C).

---

1) E. Grünwald, Simmias und Kebes in Platons Phaedon, Ztschr. für d. Gymnasialwesen 1910, p. 257 sqq.

Quam aegre tulisse eum putas arbitrium, cum arbitri neutri victoriae pretium concedant!

Phaedimus autem modeste se retinet, excusat se propter proximi diei convivium non ita bene operam in oratione collocare potuisse; non illudit, immo ea quae alter obiecerat causis atque argumentis reicit (975 D sq., 977 D, 983 E). Quae argumenta tamen apud arbitros non minorem vim habere intellegimus, cum eum non esse inferiorem iudicent.

Non aliter Demetrii[1]) grammatici et Cleombroti[2]) ingenium atque mores diverso modo esse descriptos significare satis habeo. Haec iam sufficiant, ne Plutarchi ethopoeiam nimis parvi aestimemus.

8. Conclusio.

„Durch Plato wurde der Dialog als das Gegenbild des sokratischen Gesprächs zu der litterarischen Kunstform für die philosophische Darstellung“ [3]). Platonis dialogi ex ingenio vere poetico producti sunt. Inde factum est — id quos nos miramur — ut sermones maxime adstricte construerentur neque minus adstricte acriterque usque ad finem perducerentur, ut in dialogis cum una quaestio diligenter ne parvis quidem causis quae obici

1) γραμματικός 410 A. Dessau, Hermes 46 (1911) p. 156 sqq. Demetrium in Britannia esse versatum inscriptione Britannica demonstrat; Plutarchus ergo non fortuito narrationes inter viros distribuit, sed ut mores amicorum ita itinera respicit. Sermo non fictus esse videtur.

2) Eisele, Daemonologie Plutarchs (Archiv f. Gesch. d. Philos. N. F. X, 1904). Quod Eisele Cleombrotum esse personam ridiculam censet, factum est, ut Cleombroti de geniis doctrinam a Plutarcho abiudicaret. Sed vel inde quia postremo loco post Ammonium et Lampriam plurimis verbis utitur, eius sententiam non illudi apparet, immo summa est. cap. 12 non temere assentitur, sed est haec refutatio vere Plutarchea (p. 48, 3 b).

3) Cic. Tusc. disp. l. V erklärt von M. Pohlenz (Leipz. 1912) p. 20.

possent neglectis tractaretur, libri atque sermonis unitas accuratissime servaretur. Τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους a Platonis discipulo doctissimo, ab Aristotele in poesis operibus esse habitos (po. 1447 b 9) notum est. Sed idem quamquam in eo non erat poetae ingenium, tamen composuit dialogos. Quodsi Aristoteles et qui eum secuti sunt tamen dialogos scripserunt, id factum esse apparet, quia dialogus post Platonem forma maxime insignis, maxime digna, maxime idonea esse videbatur, qua libri philosophorum componerentur. Sed et quod Platonis imitatores non iam erant poetae et quod Socratica ratio verum indagandi qua dicta et responsa celeriter alternabantur, non iam erat ut supra commemoravi (p. 1) tempestiva, dialogi forma magnas variationes subiit, quarum maximam iam apud Aristotelem detegimus; nam inde ab eo sententiae cum falsae tum verae perpetua oratione exponebantur, quae orationes deinde semper in dialogis manserunt neque non a Plutarcho adhibebantur, etsi saepe eas vitare vel minuere vel variare studebat.

Nam Plutarchus in omnibus rebus Platonem quem summopere venerabatur imitandum sibi proposuerat. Et sicut Platonis doctrinam summam omnium existimabat, ita illius dialogorum formam admirabatur et imitari saepe conabatur sive totam rationem sive aliquid artis Platonicae. Plutarchus igitur ut homo Academicus proficiscitur a Platone, sed eum totum imitari et consequi non valet isdem de causis atque ceteri. Quod eum pauca conatum mature sensisse consentaneum est; unde accidit, ut Plutarchus quoque plerumque Aristotelis rationem adhiberet. Ut autem erat homo sui nec mediocris ingenii, Platonis et Aristotelis rationes ita commiscuit, ut dialogorum forma haud paucis notis propriis ac singularibus exstrueretur.

Duas praecipue vias Plutarchus ingressus est, cum quaestionem quandam diversis sententiis allatis illustrare in animo habebat. Si sententiae complures quae magni momenti sunt, inter se pugnant, omnes deinceps perpetuis

orationibus proferri facit, sed nulla refutatur et quae sit vera, positione fere sola quia postremo loco describitur, significatur. Sin sententiae non ita multae inter se pugnant, singulas autem diligenter refutare neque tamen adversarios aliarum disciplinarum, ut contentio nimis acris evitetur, ipsos inducere vult Plutarchus, uni homini principatus colloquii ita datur, ut veram sententiam defendat atque ea quae ab amicis interpellantibus secundum reliquorum philosophorum sententias paucis verbis obiciuntur, refellat. Utraque ratio dialogum formandi quod perpetua oratione utitur, rationem illam inde ab Aristotele usitatam sapit; Aristotelem quoque sequitur Plutarchus, cum ipse saepe principatum tenet; sed Aristotelis ipsius ratio longe aliter progrediebatur. Nam Aristoteles dialogos simili modo composuisse videtur atque Cicero libros qui inscribuntur de finibus (ad Att. XIII 19_4, Tusc. II 9): sententia falsa primo loco perpetua oratione allata eodem modo refutatur, tum sententia vera una oratione describitur. Aristoteles ergo docet, quae pro re et contra rem dici possint, agit autem certa via ac ratione, cum non prius sententiam veram explicat quam adversarios refutavit.

Plutarchus igitur cum falsas sententias aut non perpetua oratione proferri aut non refutari faciat, non ab Aristotele solo suas componendi rationes transtulit. Altera eius ratio, qua unus inducitur quem alii paucis interpellent, cognata est cum ratione Academicorum (p. 44), quam Cicero in disputationibus Tusc. sequitur: discipuli doceri cupiunt, magister solus docet, sed discipuli maxime initio nonnulla obiciunt. Alterius autem rationis Plutarcheae quam nos in libro de *E* aliis cognovimus, ubi varias sententias eo ordine enarrat, ut ab infimis ad summas ascendat, exempla apud alios auctores non video. Propterea commoveor ut hanc rationem quae in eius libris maxime valet, omnino Plutarchi propriam putem, etsi cum alii nonnulli libri exstabant qui exempla praebere possent tum Platonis symposium (p. 40). Sententias non aperte

refutari id ipsum plane ex Plutarchi animo est qui litium causas e medio tollere studet. Praeterea etiam scholae vestigia hic inveniri mihi videntur: nam principis sententia qui postremo loco loquitur a nullo in dubitationem vocatur, immo saepius principis verba esse respicienda iam antea exprimitur (velut *def gen*). Principis ergo sententia auctoritate eius valet sicut magistri auctoritas in schola regnat.

Sic vel hic aliquid scholae invenimus, ut schola omnino magnum momentum in Plutarchi libris a[illegible]ert. Id quod mirum non est respicientibus eum scholis habendis studiose operam dedisse (p. 51). Totos libros eum in scholae modum composuisse supra vidimus (p. 51 sqq.), sed non primus scholam in dialogos induxit. Cicero hac forma disputationes Tusculanas scripsit. Quam formam non ex ipsius Ciceronis ingenio ortam esse propterea concludendum esse videtur, quia et ipse se Academicam rationem sequi dicit (de fin. II 2, Tusc. I 8) neque tantam consuetudinem cum schola habebat, ut ex hoc studio solo formam tantopere perfectam transtulisse putandus sit. Hanc igitur formam iam apud Academicos in libris exstitisse putaverim. Quam Putarchum quoque ut Academicum ex isdem libris Graecis hausisse versimile est. Plutarchus autem ubi scholam descripsit, rationem tantopere mutare studet (p. 58), ut eum libere exemplum Academicum variavisse appareat. Id quod eo facilius facere poterat, quia in ipsius schola sine dubio diversae dialogi formae cotidie ultro nascebantur aut consulto ab eo instituebantur. Sic Plutarchus formam traditam coniungit cum scholae suae constuetudine.

Forma quaedam scholae est certamen quod Graeci ἀγῶνα vocant, quale invenimus in libro *soll* (p. 31). Certamen quo diversae duae sententiae inter se opponuntur et comparantur, antiquitus apud Graecos usitatum erat [1]). Velut in comoedia antiqua quae ἀρχαία κωμῳδία dicitur

1) Henze, Die Synkrisis in der griechischen Litteratur.

tantum spatium obtinet, ut in antiquissimis comoediae partibus habendum esse videatur. Sic certamen iam dudum describi solebat, cum a philosophis qui in utramque partem disserere solebant velut Protagora Aristotele Carneade et a rhetoribus susceptum est; deinde autem in rhetorum et philosophorum scholis semper in discipulorum exercitationibus utilissimis habebatur. Unde Plutarchum qui consulto certamen adhibet — ipse enim hoc verbo utitur: *soll* 960 B ἀγών. 985 C ἀγωνιεῖσθε — hanc formam accepisse et ut in scholam suam ita in dialogos transtulisse non valde miramur, quoniam eum satis multum cum in rhetorum tum in Academicorum disciplina versatum esse constat. Academici enim qui in utramque partem disserentes contrarias res proponere solebant, imprimis inde a Carneade certamina instituere consueverant (velut Carneades ipse de iustitia et iniustitia disserebat Cic. Rep. III 8 sqq.). Plutarchus igitur rursus formam diu usitatam adhibuit, qua ut uteretur vitae consuetudine adductus est. Certamen ipsum conscripsit, ut eius tenor apud alios compositus erat; Plutarchi autem est arbitrium suo modo formatum, quo res non diiudicatur, addidisse (p. 31).

Ut scholae rationem ita fabulam in Plutarchi dialogis multum valere vidimus. Et hic quoque satis multos habuit, qui antecessissent. Nam ab initio facile accidere poterat, ut aliquid fabulae in dialogos, imprimis in diegematicos inferretur: ubi viros convenire discedere pluribus describitur, fabulae initium factum est, praesertim si causa conveniendi accuratius explicatur velut in Platonis Republica, Phaedone, Legibus, Ciceronis Republica; dialogus ergo non ita multum distat a fabula. Illic dialogus longe fabulam superat; paulatim autem fabula magis in dialogum irrepere coepit (inde ab Heraclide Pontico) atque tam late serpere, ut postremo vix discerni posset, utrum dialogus an fabula praevaleret velut in Plutarchi libro *gen*; quem librum tamen in dialogis esse numerandum demonstravit auctor, cum quaecumque ad fabulam pertinent,

alternis sermonibus variare, quantum quidem posset, studeret et cum dialogum ut mixtum componeret.

Nec Plutarchus in iis libris ubi fabulae maius spatium dat, cum librorum indoles maxime differat, eundem auctorem secutus est. In convivio Platonem imitatus formam inde ab illo usitatam adhibet eodemque modo sapientes convenire iam ante Plutarchum descriptum erat (Hirzel II 141). Quantum in libro *gen* Platonem secutus sit, postea videbimus (p. 77 sqq.). Sed num dialogus quidam descriptionem Delphorum periegesi similem (*Pyth*) exhibuerit, nescio et dubito, an necesse sit ponere Plutarchum in amatorio certum auctorem secutum esse. Exemplorum quae sermones cum fabula coniungebant, multitudo satis magna exstabat neque dicere possum, quantum in hac re Plutarchi proprium sit. Sed Plutarchi indoles maxime apta erat, qua illos libros componeret, quippe cuius narrandi artem etiam in vitis parallelis admiremur, et eum id effecisse dixerim, ut postea etiam magis et saepius fabula et sermo in dialogis confunderentur.

Ex hac sermonum cum fabula coniunctione vel id fluxisse videtur, quod in eodem libro complura argumenta tractantur. Actio enim fabulae ipsa iam diversorum sermonum iis qui actionem promovent ansam dat. Quibus sermonibus ubi accedit quaestio quaedam quae dialogi argumentum esse valet, variae res in unum librum coguntur. Unde accidit, ut complura argumenta in iis praecipue dialogis tractata videamus, ubi fabula magnas partes obtinet (*gen*, *amat*, *conv*, *Pyth*, *def*). Plutarchus igitur in hac re eosdem secutus esse potest quos in fabula. Scriptores autem ubi varia argumenta coniungebant, id agere debebant, ne sermonum atque libri unitas periret. Saepe videntur tantum diversae res tractari (velut *fac*, p. 53), cum liber falsa inscriptione ornatus sit; saepe sermones ita cohaerent, ut omnes ad eundem finem spectent atque primi summum ut ita dicam praeparent (*soll*, p. 54); saepe sermones etiam cum fabula ita coniuncti sunt, ut se mutuo adiuvent (*amat*, p. 56). Sed saepe ob id ipsum libri unitas

satis servari non poterat (*conv*, p. 54, *gen*, p. 88 sqq.), sive conexum auctor plane neglegebat (*conv*) sive nimis artificiose tueri conabatur (*gen*, *def*).

Cum hoc modo Plutarchus multa argumenta in uno libro tractaret et varios auctores secutus fabulam itemque scholam in dialogos inferret, factum est, ut diversissimas dialogorum formas adhiberet. Quod consilio eum fecisse apertum est, sicut singulas scholae vel fabulae formas semper variare studebat (p. 58). Certa atque eadem forma uti ingenio suo non cogebatur, immo cum varietatem delectare sciret operamque daret, ne lectorem defatigaret, diversas formas expertus est, quarum nulla eius animum tantopere allexit, ut ea sola uteretur. At sicut ex eius vita atque consuetudine efficiebatur, ut scholam saepe describeret, ita fabulam in tot libros inductam esse ex illius ingenio explicandum est.

Plutarchum natura non poetam finxit, sed fabularum et historiarum scriptorem elegantem et amabilem, itaque in fabulis enarrandis summam laudem assequi valuit, ut in vitis parallelis quas hanc indolem secutus composuit elucet. Ex hac autem Plutarchi ingenii natura multa intellegi possunt. Eum propterea fabulas saepe cum dialogis coniunxisse iam commemoravi. Eadem de causa genus diegematicum praetulit longe postposito genere dramatico. Hoc enim ab eo coli non potest, cui parum ingenii dramatici est atque indolis. Multum abest ut hanc indolem a Plutarcho abiudicem, sed ingenii vires eum ad illud genus diegematicum quod dixi multo validiore impetu adduxerunt; itaque suo iure pro ingenio et indole fabulam et sermonem coniunxit et genus diegematicum sine dubio maiore cum arte et felicitate tractavit. Quia non erat poeta, non invitus eos secutus est, qui sententias perpetua oratione inter se opponebant atque idem plerumque contentionem scaenamque nimis vividam vitare studet. Ob eandem causam compositionis lineamenta atque ornamenta plerumque nimis perspicue demonstrantur, et dialogorum tenor non semper tam acriter servari potuit quam apud

Platonem; digressiones non desunt, cum Plutarchus saepe res in dialogos inferret, de quibus aliis de causis dicere volebat (*def*, *Pyth*). Postremo quod tanta narrandi arte praeditus erat neque ei deerat ars ethopoeiae, dialogos ea familiaritate ornare potuit, quae multis parvis scaenae hominumque notis narratis scaenam et homines vivis coloribus ante oculos ponit et etiam augetur, ubi inter personas praecipue amici atque familiares inducuntur.

Plutarchus igitur cum non esset poeta altercationem Platonicam, praesertim cum illorum temporum quaestionibus apta non esset, vitavit. Quodsi hoc modo dramatis similitudo atque ardor, quam in veris dialogis inveniri oportet, interibat, Plutarchus alio modo dramatis alacritatem reficere sermonumque vim augere debebat, id quod ex eius ingenio non levi summopere contigit. Accedebant autem etiam aliae res quae verum dialogum impedirent. Saepe enim argumenta — imprimis si una sententia sola erat pronuntianda — non apta erant, quae dialogum verum complerent (*coh*, *san*, *Col*, p. 27), et adversariis nonnunquam non satis spatii relinquebatur, ut sermo iustus oreretur (p. 52). Sed cum hae causae quas modo commemoravi in ipso dialogi proposito positae essent itaque ab auctore ipso evitari possent, alios libros eo magis suavitate et alacritate ornavit. Quam quomodo effecerit, iam vidimus: formam semper variare studet, complura argumenta in eodem libro tractat, qua re fit, ut multi sermones breves eoque alacriores instituantur, permultum fabulae dialogis immiscet neque minimum valet, quod personae diligenter describuntur; quam plurimas sententias colligit, quarum maxime primae celeriter se excipiunt et proximus quisque cum priorem refellit, respondet ad aliorum verba. Denique etiam longae orationes plerumque saepe interpellantur. Sic auctor artem suam praestitit librisque eam suavitatem addidit, ob quam dialogi semper a multis et legebantur et leguntur. —

Nos quaestionem nostram ad finem perduximus librumque finiremus, nisi antea nonnullos dialogos exe-

missemus. Quae omnibus libris communia sint, vidimus, sed libros *gen*, *Pyth*, *def*, *not*, cum tractandi plus spatii sibi flagitarent quam ut apte inter capita priora de iis ageretur, neque paucis eorum compositio absolvi posset, postremo loco seorsim tractandos mihi proposui.

II. AGITUR DE SINGULIS DIALOGIS.

1. De genio Socratis.

„Plutarchum vix ante annum 96 libros condere coepisse, ergo intervallo non ita magno interposito plurimos scripsisse" supra posui (p. 2). Hunc autem librum a Plutarcho adulescente vel mature compositum esse et multi alii censuerunt[1]) et ipse diu putavi, multis enim causis id probatur: libri compositio nonnihil a ceteris differt, fabula multo plus spatii habet quam in ceteris libris, artissime Platonis Phaedonem auctor secutus est, paene Pythagoreum se praestat, inter sententias de geniis prolatas magnae discrepantiae exstant. Quae causae, etsi graves, rem decidere non possunt, sed si sententias de geniis contuleris cum libris Delphicis, easdem fere invenies, maximum autem momentum affert comparatio libri *gen* cum vita Pelopidae, cum eandem fabulam Thebarum liberandarum in utroque libro narratam habeamus. Libris diligenter comparatis uter liber prior sit apparebit. Si liber *gen* post vitam confectus est, isdem temporibus scriptus est atque ceteri dialogi. Utraque res causis universis probari potest; aut dialogi argumentum vita corrigitur aut vita conscripta auctori eiusdem argumenti fabulam in dialogo adhiberi posse in mentem venit.

Sed ut res diiudicetur, et argumentum et verba accuratius comparanda sunt. Christ l. c. ea conferre iam

1) Hirzel II 148sqq.; Christ, das Daimonion des Sokrates, Sitzgsber. d. bayr. Akad. 1901, p. 79sqq.

coepit, sed in eum errorem incidit, ut quaecumque in dialogo, non in vita et quaecumque non iam apud Xenophontem Ephorum alios exstant, a Plutarcho ipso inventa esse putaret itaque vitam esse ex dialogo excerptam constitueret. At Plutarchus vitas ab aliis scriptas plerumque secutus suas vitas condidit, non ex multorum historiarum scriptorum libris suas composuit; sermones invenit, non fabulas; fabulas tradebat ut eas in vitis legerat[1]). Ex vita quadam Plutarchus praeter alios fontes hausit; sed cum eandem fabulam duobus libris celebraret, fieri non poterat quin ipsius quoque libro prius conscripto in altero libro fonte uteretur. Quae in libris consentiunt, aut ex communi fonte aut ex altero libro manaverunt. Libros ergo comparemus:

1. In vita Pelopidae, non in dialogo narrata sunt: Athenienses non expulisse coniuratos, Pelopidam Athenis civibus suis expulsis persuasisse ut Thebas liberarent (cap. 6); Thebis liberatis statim contionem fuisse ubi populus coniuratos ut patriae tutores recepisset; Pelopidam boeotarchum creatum esse (cap. 12—13). Ergo pauca quae aut ante Thebas liberatas aut paulo post facta sunt et quae Pelopidam laudibus efferunt, addita sunt.

2. In dialogo solo multa exstant: ipsa nomina Capheisiae Polymnis Simmiae Galaxidori Theocriti Theanoris Lysidis illic non inveniuntur. Coniuratos apud Simmiam convenisse in vita non narratur: sermones philosophici scaenam postulabant, Simmiae domum eligebat auctor, quia Simmias plurima de Socrate prodere poterat. Maioris autem momenti est quod auctor addit, cur Epaminondas coniurationi non ipse intersit (cap. 3, 576 F, ubi etiam nomina Eumolpidae et Samidae coniuratorum adduntur), cur Lysanoridas non in arce fuerit (cap. 5, 578 A), cur Archias et Leontides non una apud Phyllidam sint (cap. 4, 577 C). cap. 28, 595 E Diotonus et Theocritus coniuratos postquam

1) Fr. Leo, die griechisch-römische Biographie 1901, p. 154 sqq.

Charon abiit incitant ut impetum iam tum faciant[1]), cap. 33, 598 A captivi e carcere liberantur, cap. 31, 597 A mors Archiae et maxime Cabirichi diligenter describitur[2]). Quae omnia non ab auctore inventa, sed ex fonte aliquo hausta sunt, cum facta ut ita dicam pervulgata tradat neque habuerit, cur res atque causas a multis narratas mutaret. Fons igitur quidam subest qui fabulam ne minimis quidem rebus neglectis diligentissime enarrabat, Epaminondae et Pelopidae facta pariter descripta esse videntur. In vita autem Plutarchus multas res omisit, quarum nonnullas (velut captivos, Cabirichi mortem) certe non praeterisset, si libro *gen* praeter alios fonte usus esset.

Praeterea in dialogo solo sacrificia somnia similiaque traduntur quae res ad scaenam obscuram atque mysticam sermonum et geniorum quadrant: sacrificia mala tyrannorum 586 F, bona coniuratorum 587 C, Theocriti 594 E, 595 F, fulmen cap. 26, 594 E, somnium cap. 17—18, quod in malam et bonam partem interpretantur; sacra hasta cap. 31, 597 C. Haec fabula Thebana per totam Boeotiam nimis erat pervulgata et constituta quam ut Plutarchus miracula illa omnia etsi fortasse nonnulla invenit addidisse putandus sit, praesertim cum somnium illud diligenter describat[3]). Immo alium quendam fontem hic adhibuisse videtur, ubi res mysticae maxime laudabantur, quae in fonte dialogi et vitae communi deerant.

3. Quae in utroque libro narrantur, ad diiudicandam

1) Quae scaena ex verbis qualia in vita cap. 1014 exstant orta esse potest (ὡς δ' ἐπανῆλθεν ὁ Χάρων οἴκαδε καὶ διεσκευασμένους τοὺς ἄνδρας εὗρεν . .), sed Plutarchum haec facta invenisse non est verisimile, cum consilium eius nullo modo adiuvarent. Sed alia est res si quaeris, num scaena veritati respondeat. Coniurati si Diotonum sequi Charonemque servare voluissent, non mansissent, dum Charon rediret; id stultum fuit.

2) Quae in vita minus accurate narrantur quia Pelopidas in altero coniuratorum manu erat, quae Leontidam necavit.

3) Inter sermonem de geniis iam satis multa erant intermittenda cap. 13—19; tantum somnium per se inventum eo loco non addidisset; sed eo bene uti poterat, ut Hippostheneidae metus causas confirmaret.

nostram causam plurimum valent; nam et ordo et conexus et verba saepe mutata sunt in altero libro:

vita 7: Χάρων μὲν ὡμολόγησε τὴν οἰκίαν παρέξειν ..., ubi primum expulsi Thebas miserunt qui consilium nuntiarent. — *gen* 2, 576 D: Charon die ipso tyrannorum interficiendorum domum coniuratis praebet. — Domum quo coniurati conveniant, multo ante constitutam esse necesse est; si minus, quo Thebarum illi se converterent? Num nuntius cum omnibus inter montes dissipatis domum communicare poterat? Si dies constitutus est (577 B εἰ τὴν ἡμέραν φυλάττουσιν), etiam domus nota erat. In vita omnia apta sunt, sed in dialogo Plutarchus haec mutavit, ut in tragoediae modum omnia in unum tempus cogerentur. Ansam autem ei dedit ea res, quod eo ipso die quo coniurati in itinere erant, etiam in vita (cap. 8) nuntius ad Charonem venisse narratur.

vita 7: Χάρων μὲν ὡμολόγησε τὴν οἰκίαν παρέξειν, Φυλλίδας δὲ διεπράξατο τῶν περὶ Ἀρχίαν καὶ Φίλιππον πολεμαρχούντων γραμματεὺς γενέσθαι, Ἐπαμεινώνδας δὲ ... ἐκέλευε ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν Λακεδαιμονίων καὶ παλαίειν. — *gen* 2,576D: ὡμολόγησε ὁ Χάρων παρέξειν, cap. 4, 577B: Φυλλίδας ὃν οἶσθα ὦ Ἀρχίδαμε τότε τοῖς περὶ τὸν Ἀρχίαν πολεμαρχοῦσι γραμματεύων, cap. 25, 594 A: Τούτων εἰρημένων ὁ Ἐπαμεινώνδας .. σοὶ μὲν εἶπεν, σχεδὸν ὥρα βαδίζειν εἰς τὸ γυμνάσιον ἤδη. Eaedem res ante reditum expulsorum gestae hic diversis locis narrantur. Sed quid intererat paulo ante hunc vesperum (594 C D) luctari? Quae res sane, cum antea de luctando nihil dictum sit, mira est neque intellegi potest, nisi Plutarchus ea verba, quae in vita suo loco addita erant, intermisit et iteravit hoc loco, ne plane omitterentur (et ut Epaminondas quod fratrem luctatum ire iuberet merito laudaretur). Similiter 577 B Phyllidam scribam factum esse obiter commemoravit, quae res in vita eum locum habet, ubi eam maximi momenti esse apparet. Nam inter coniurationis apparatus haec enarranda erant ut fit in vita; in vita ordo simplex retinetur.

vita 8 — *gen* 17 sq: de Hippostheneida et Chlidone.

Pauca verba in utroque libro sunt eadem: 8_{32}—587 F: (τὸν χαλινὸν) οὐκ εἶχεν ἡ γυνὴ δοῦναι, 8_{33}: λοιδορίαι τὸ πρῶτον ἦσαν, εἶτα δυσφημίαι τῆς γυναικὸς ἐπαρωμένης ..., 588 A: τρέπεται πρὸς δυσφημίας ἀποτροπαίους ἐπαρωμένη ... Quae verba in fonte communi exstitisse verisimile est; Hippostheneidam et Chlidonem apud Simmiam convenientes fecit Plutarchus. Sed si dialogo in vita usus esset, non scripsisset (8_{35}) ὥστε τὸν Χλίδωνα ἀφεῖναι τὴν ὁδὸν ὅλως καὶ πρὸς ἄλλο τι τρέπεσθαι (poteratne invito Hippostheneida via desistere?) sed in hunc modum: Chlidonem ad illum venisse „ὅπως ἄλλον ἐκπέμπητε πρὸς τοὺς ἄνδρας ὡς ἐμοῦ παντάπασιν ἐκστατικῶς ἐν τῷ παρόντι καὶ κακῶς ἔχοντος“ (588 A). Contra facile perspicimus, cur in dialogo narrationem ita mutaverit, ut Chlidon in ipsam scaenam induceretur.

vita 9 (de Charone): Πολλοῖς μὲν αὐτῶν δάκρυα πρὸς τὸ πάθος καὶ τὸ φρόνημα τοῦ Χάρωνος ἐξέπεσε, πάντες δὲ ἠγανάκτουν — *gen* 27, 595 C: τὸ μὲν φρόνημα ἐθαυμάζομεν, πρὸς δὲ τὴν ὑποψίαν ἠγανακτοῦμεν ... 28, 595 D: δάκρυα πολλοῖς ἐπῆλθεν ἡμῶν πρὸς τοὺς λόγους, αὐτὸς δ' ἄδακρυς ... In dialogo Charonis oratio bipartita est et in utriusque partis fine unum affectus verbum (ἠγανακτοῦμεν et δάκρυα) additum. Qui ordo est artificiosior quam in vita, cum indignatio et lacrimae separari non possint. Lacrimae enim manant πρὸς τὸ πάθος et πρὸς τὸ φρόνημα quod ex Charonis verbis elucet, sed iam ex primis, non ex postremis verbis (πρὸς τοὺς λόγους *gen* 28). Eadem autem Charonis verba prima quibus coniuratis filium tradit indignationem movent, isdem igitur verbis uterque affectus oritur. Mutabatur autem ordo in dialogo, ut simili modo Charon et ceteri opponi possint atque Socrates et amici in Phaedone (117 d). Quem ordinem in vita auctor esset secutus, si dialogus iam scriptus fuisset. Nunc est narratio vitae multo simplicior. In eadem scaena libri etiam saepius ita inter se discrepant, ut in dialogo esse narrationem amplificatam appareat: in vita unus e coniuratis (τις) ianuam aperit, in dialogo Charon ipse cum Archiae

servis loquitur; cum ob id ipsum servos dimitti oporteat, ut Charon ad amicos redire possit neve statim cum servis eat, Plutarchus eos etiam πρόσταγμα τι τοῖς φρουροῖς κομίσαι fingit; sed quid Archiam a quo veniunt tum e convivio custodiis mandare putemus? — In vita omnibus placet Charonem ire (ἔδοξεν ὑπακοῦσαι τὸν Χάρωνα), in dialogo ipse servis se venturum esse dicit, postea omnes idem probant (595 A ὑπακούειν).

vita 11 Cephisodorus statim mortuus est — *gen* 32, 597 F vivit, dum Pelopidas Leontidam supra eum iugulavit; tum ubi inimicum cadentem vidit, Pelopidae dextram porrigit hilaroque vultu animam efflat. Rem in dialogo ultra modum esse exornatam apparet.

Sed id ipsum saepe invenimus in dialogo res paulo aliter atque in vita narratas esse et tantopere exornatas ut rem ita evenisse vix credi possit; immo auctor id spectavisse videtur, ne res plane eadem neve isdem verbis in utroque libro explicaretur. vita 10 — *gen* 596 F sqq., 11 (ἐπὶ τὸν θάλαμον ὥρμησαν) — 597 E (ὥρμησε πρὸς ἄμυναν).

Quodsi rem comprehendimus, in dialogo multa quae in fonte fuisse videntur mutata vidimus, quia quam plurima per sermones exponere Plutarchus studebat, quia omnia in unum eundemque diem coguntur, quia ex coniuratorum condicione omnia describuntur. In vita imago fontis communis accuratior exstat. Nusquam factum quoddam ex dialogo in vitam receptum esse videtur. Ubi in altero libro rem aliter expressam videbamus, nunquam in vita verba dialogi respiciebantur, sed saepe res in vita magis secundum dialogi verba gerendae erant, si dialogus iam scriptus esset, et saepe verba quaedam dialogi variata esse videbantur, ne nimis cum vita consentirent. Quae indicia quamvis exigua si recte explicavimus, vitam esse prius conscriptam quam dialogum necesse est.

Accedit quod per se verisimile videtur Plutarchum dialogum non neque scripsisse Epaminondae ingenium et mores accuratissime ante oculos ponere potuisse nisi multo

tempore in illius aetatis studiis contrito. Quibus studiis tum operam dedit, cum vitas Epaminondae et Pelopidae composuit[1]). Postremo non nihil valet quod ea quae in dialogo narrantur, certam vitae partem obtinent (cap. 5—13), quae pars iam in vita tantopere definitur, ut in perorationem quandam exeat: dialogi autem finis non sollerter compositus est, quia auctor omnia quae in vita in hac parte narrata erant, afferenda esse putavit; adduntur enim in fine res quaedam quae ad dialogi narrationem nihil pertinent velut imperatorum Lacedaemoniorum poena, quam Thebani dialogi temporibus paene nondum comperire potuerunt. Quibus rebus sententia nostra dialogum esse vita confecta scriptum paululum confirmatur.

Isdem ergo temporibus dialogus de quo agimus conscriptus est quibus ceteri Plutarchei et si quae diversitates componendi exstant, alio modo ex argumento et ex auctoris consilio explicandae erunt. —

Varii sermones enarrantur; nam coniurati cum de multis aliis rebus colloquuntur, tum multa quae ad coniurationem pertinent, sermonibus celebrant[2]). Cum fabulae scaena agitata describatur, adveniant coniurati in conventum, abeant, alii accedant, tales sermones inde saepe alacriores et fervidiores fieri usque ad contentionem consentaneum est, quales inter homines coniuratos habeantur, imprimis cum periculum immineat. Sed quoniam in istis sermonibus ex fabula ortis argumentum plus valet quam ratio dialogica, nos statim ad ceteros sermones transeamus; atque primum singulos inspiciemus, tum explicabimus quomodo et inter se cohaereant et cum actione.

Facile explicatur sermo primus de Alcmenes sepulcro

---

1) Inde vel id fluxit quod Epaminondas in utroque libro isdem moribus ornatur, velut divitias aspernatur vita 3 — *gen* 14 sq., idem est ἄπληστος τοῦ μανθάνειν καὶ ἀκροᾶσθαι *gen* 23, 592 F — vita 4.

2) Christ l. c. p. 61. — Cur Epaminondas coniurationi non intersit cap. 3, 25; de tyrannis ad cenam vocatis 4, de Hipposthenеida 17—19, de Charone 27—28.

(cap. 5. 7): Pheidolaus a Theocrito interrogatus respondet ea quae de sepulcro comperta habet; Theocritus adicit ea quae paulo ante a Lysanorida audivit; cetera ex Simmia qui in Aegypto ipse erat, quaerenda sunt quaeruntur que ubi illi ad eum venerunt; addit Simmias Platonis interpretationem oraculi Deliorum, cuius summa erat eadem atque scripturae in sepulcro inventae: mathematicam esse colendam [1].

Novus advena Polymnis [2]) ut saepe accidit [3]) novam quaestionem in medium adducit. Longi sermones annectuntur, qui quamquam ad coniurationem nil afferunt, maximam dialogi partem obtinent. Et coniurati operis sui obliti sermonibus non solum unam rem tractant, sed ex altero sermone alter oritur, ad quem tertio sermone interruptum multo post revertuntur quasi non iam eodem die tyrannorum potestas tollenda sit. Sed ne res sit nimis mira, Plutarchus ipse sermones de multis rebus saepe apud Simmiam, Platonis discipulum doctissimum et longe profectum, institutos esse addit, ad quos etiam tyranni adhiberentur, ne res in suspicionem veniret (p. 576B).

Polymnis igitur hospitem quendam Pythagoreum eo

1) Cur iam hic sermo aliis rebus intermissis distractus sit, difficile est dictu. Auctor tyrannos inducere volebat, quomodo cum coniuratis essent, et simul demonstrare Simmiam quoque — quamquam coniurationi propter morbum ipse interesse non posset — Thebanis consulere, cum Amphitheum liberare studeret (4, 577 D). Si tyranni omnes ab initio apud Simmiam fuissent, vix causa inveniri poterat, cur hi abirent et coniurati tum advenirent. Propterea sermones in via ordiuntur. Maioris autem momenti esse videtur, quod prohibendum erat, ne omnes sermones nimis pariter apud Simmiam instituerentur, et sic vitae illorum imago maxime vivida describitur: coniuratorum multi inter se, tyranni cum Theocrito colloquuntur, Simmias cum Leontida; abeunt tyranni, venit Pheidolaus, abit Leontides, tum ad Simmiam eunt. Denique Pheidolaus amicos manere iubet sicut Socratis amici ante carcerem manere iubentur (Hirzel II 149_4).

2) Incredibili errore adductus Pape (Lexikon d. griech. Eig.) eundem huius libri Polymnim et Epaminondae et Plutarchi ipsius patrem fecit.

3) Tac. dialg.; Plato Sympos., Gorgias Hirzel I 221.

consilio advenisse dicit, ut Lysidis ossa in Italiam auferret, „nisi noctu genius aliqua adversaretur“ (cap. 8). Quo genio commemorato Galaxidorus hominum superstitionem vituperat Socratemque laudat ut qui fastu remoto simplex philosophiae genus amplexus sit. Sed Theocrito Socratem superstitionem modo, non omnia divina contempsisse concedit (c. 9). Iam Theocritus interrogans, num ille Socratis genium fictum esse putet ipse statim hunc genium certe divina esse origine dicit (c. 10). Artificiose id factum est quod a Pythagoreo ad Socratem venimus, altercatio in paucissima dicta et responsa contracta est, ea interrogant, ea respondent, quibus celerrime ad rem plane aliam veniant. Galaxidorus solus primo plura verba facit, ne transitum celerem miremur [1]). Sic tandem auctor in rem summam ingressus est.

Sed ne ob tantos sermones coniurationis obliviscamur, Plutarchus huic sermoni Hippostheneidae facinus intermittit (cap. 17—19). Immissi sunt etiam alii sermones qui Theanoris adventu oriuntur. Nimirum hospes explicare debet qua re commotus sit, ut tantum iter perficeret. Haec autem narratio ab auctore iam cum scaena et ceteris sermonibus conexa est, cum Theanor isdem sermonum personis pro arbitris se uti velle dicat (583 A). Certamen (ἀγών) ergo instituitur; contendunt enim Theanor et Epaminondas, utrum hic dona per illum a Pythagoreis missa accipere debeat necne. Tres partes sunt: in prima Epaminondae cum patre et fratre convenit iis non opus esse divitiis, Epamaninondas multis verbis interrogat, paucis illi respondent; deinde Theanor ei persuadere studet, tertium Epaminondas Theanori. Disputatur igitur in utramque partem, sed quomodo uterque disputet, id nobis maxime mirandum est. Nam non perpetua oratione suam quisque sententiam defendit, sed altercatione quasi Socratica alter alteri persuadere studet, cum eum interrogatum

1) Quod quam consulto et cogitate factum sit, eo magis cognoscimus, quod postea Theanoris verba quae Polymni verborum similia sunt (586 A) a nullo respiciuntur, ne a Galaxidoro quidem.

ea concedere cogat quibus ei persuaderi oportet. Sed Plutarchus in hac altercatione qua Platonem imitatur diu perserevare non potest et paulo post Epaminondam longa oratione rem explicantem facit. Quantum Plutarchi ingenium et ars a Platonica differat, vel eo apparet, quod Plutarchus hanc rem non ad finem perduxit. Nemini persuadetur, arbitri vero munere non funguntur, quin etiam eo procedit Plutarchus, ut res in aliud tempus differatur (Simmias 585 D: ἀλλὰ περὶ τούτων αὐτοὶ διαλύεσθε πρὸς αὐτούς). Attamen ea re Plutarchum cognoscimus quod ea sententia quae plus ponderis habeat ultimo loco posita et plurimis verbis explicata est. Nam dubitari non potest quin auctor Epaminondae sententiam superiorem putaverit praesertim cum ille semper in paupertate vixerit. Theanor tum visum nocturnum describit.

Mirum sane est altercationem Socraticam hic inveniri neque vero alterum exemplum tantum afferre possum. Sed Plutarchum saepe hoc modo persuadere aliis conatum esse supra vidimus (§ 5, 3 b), et hic cum Epaminondas maximas partes agat, auctoris consilium fuisse videtur demonstrare illum multum in philosophia ut Pythagorea ita Socratica versatum esse (Simmia familiariter utebatur) atque ea totum regi atque duci. Opprobrium μισολογίας Boeotis semper factum (575 E) arcetur Plutarchi Boeoti libro, cum unus ex iis ut illius disciplinae [1]), ita Socratici generis dicendi peritum se praebeat. Quod eo magis persecutus est, quod per totum dialogum Platonem imitabatur. Sed priusquam hanc imitationis quaestionem pluribus illustremus, summum sermonem inspiciamus necesse est.

Cum antequam in daemonii naturam inquiratur, omnes scire opus sit de quali re agatur, Plutarchus Theocritum, qui primus daemonium commemoravit, exemplum quoddam afferentem facit, quo demonstretur, quomodo daemonium in rebus difficilibus Socrati adsit; idem autem iam ab

1) Hirzel II 163 2. 4.: „cap. 16, p. 585 D, vgl. dazu 11, p. 581 C; 12, p. 582 B."

initio daemonium, quod Socratis solius vitam regat [1]) divina esse origine [2]) dicit. Theocritus nondum explicare conatur, quid sit daemonium revera et quomodo accidat [3]), sed ut in libro *de E* cap. 1 illud E describitur, priusquam quid sibi velit demonstratur, ita ii qui audiunt primo daemonii vim in universum cognoscunt. Tum primam explicationem Galaxidorus pronuntiat, qui δαιμόνιον illud divinationis naturalis partem esse affirmat (580 F). Galaxidorus rem singularem ex principio communi explanare studet, cuius verba excipiens Polymnis (581 A) unam divinationis rationem premens sternutamenti vim diligentius describit; sed idem iam hanc sententiam refutare studet; Galaxidoro enim respondet Socratem merum sternutamentum non pro daemonio habiturum fuisse. Cum autem Pheidolaus addiderit sternutamentum humilem esse rem neque nisi in parvis rebus omina illa adhiberi solere, Galaxidorus ita se defendit, ut dicat parvas notas saepe magnarum rerum signa esse, sternutamentum autem ipsum (ὄργανον τοῦ δαιμονίου) instrumentum daemonis esse posse. Postea Simmias aliam explicationem atque summam in altera huius sermonis parte affert (cap. 20 sqq.)

Mirum in modum altera sententia profertur. Cur praeter Galaxidorum Polymnis eius partem quandam proponit et cur tam late illa describitur? Plutarchus veritus esse videtur, ne nimis multis verbis Galaxidoro tributis eius auctoritatem augeret; sic aliquid de eius pon-

1) 580 F: ἰδίαν καὶ περιττὴν ἐσχηκέναι δύναμιν.

2) 580 C sq. θεῖον, ἐπιθειάζον ταῖς ἑαυτοῦ προαιρέσεσι.

3) Dixerit quispiam Theocritum daemonium esse visum quoddam (ὄψις) ponere. Sed Theocritus comparatione quadam utitur: ut Athena Ulixem, ita daemonium Socratem adiuvabat, cum rebus ignotis tantam lucem afferret, ut ille ante se omnia clara videret (ὄψις προποδηγός, 580 C, ὄψις haec est visus oculorum). (Quamquam Apuleius de deo Socr. 165 sq. daemonium Socratis pro viso quodam et specie habet. Cuius verba Plutarcheorum tam similia sunt, ut ille a Plutarcho, cuius opera sicut nomen novisse videtur (Volkmann I 93), ea deprompsisse putari possit. Quod si fecit, Plutarchi verba non recte interpretatus est.).

dere detrahitur, cum Polymnis eam proferat idemque refellat. Praeterea Plutarchus cum Galaxidorus ceteros refutare cogatur, eius sententiam non omnino in humilem illum modum quo initio allata est accipiendam esse demonstrat. Nam contra ea quae obiciuntur Galaxidorus sententiam ita definit, ut sternutamentum quoque a viribus superioribus adduci concedat. Mox etiam aliam causam non parvi momenti cognoscemus, cur Galaxidorus refellatur et deinde iterum refellat.

Quodsi huius sermonis tenorem atque ordinem respicimus, primo daemonii vim demonstrari videmus, deinde duas sententias, utramque permultis verbis, explicari. Plutarchi temporibus de Socratis daemonio multum disputabatur [1]) et inter has sententias, quae sive maxime sive solae (cum Plutarchus quam plurimas sententias colligere soleat) defensae esse videntur, diiudicandum erat. Sed hic quoque (cf. p. 33) Plutarchus ita agit, ut non aperte alteram sententiam esse rectam alteram falsam dicat. Galaxidoro enim persuaderi non passus est (fortasse ipse compertum habebat difficile esse adversarios in hac causa convincere); sed tamen Pheidolai et Polymnis argumentis talia verba immisit, ut illam sententiam non esse auctoris sentiamus [2]). Sic animus noster paulatim ad Simmiae verba traducitur; nam tanta cum diligentia et studio Polymnis (et Pheidolaus) Socratem depingunt [3]), ut certe aliquid illorum verborum animis nostris inhaereat, etsi refelluntur. Praeterea omnes Simmiae auctoritatem esse probandam ab initio consentiunt [4]). Ob eandem causam

1) Gréard, de la Morale de Pl. 305 sq.

2) Pheidolaus ad Simmiam principem conversus 581 E: ἐάσωμεν παίζοντα καταβάλλειν τοσοῦτο μαντείας ἔργον εἰς πταρμοὺς καὶ κληδόνας; Polymnis graves causas afferens sublimiorem opinionem de Socrate eiusque genio haberi vult 581 B sqq.

3) Velut 581 D: οὐκ ἔστιν ἀνδρὸς ἐκ κληδόνων ἢ πταρμῶν μεταβαλλομένην ὅτε τύχοι γνώμην ἔχοντος, ἀλλ' ὑπὸ μείζονος ἐπιστασίας ἀγομένου πρὸς τὸ καλόν.

4) Theocritus 580 D: τὰ μὲν οὖν πλείονα καὶ μείζονα Σιμμίου χρὴ ἐκπυνθάνεσθαι, Polymnis et Pheidolaus 581 E, Galaxidorus 581 F: Σιμμίου περὶ τούτων ἕτοιμος ἀκροᾶσθαι καὶ πείθεσθαι μεθ' ὑμῶν, 582 C: ἀλλ' ὅπερ εἶπον, εἴ τι Σιμμίας ἔχει λέγειν, ἀκουστέον ὡς εἰδότος ἀκριβέστερον.

Polymnis ipse aliam sententiam non addit. A Simmia autem sententiam non modo rectam sed etiam maxime sublimem esse descriptam nemo non intellegit cum Galaxidorus per sensus (ἔξωθεν 581 B, κληδὼν ἤ τι τοιοῦτον σύμβολον) rem explicet, Simmias animi vel intellegentiae solius rationem habeat (λόγου νόησις, ἄνευ φωνῆς 588 E). Galaxidorus ergo qui primo daemonium intra sensuum fines explicandum esse censuerat, sententiam ita mutavit, ut superorum fines attingat; Polymnis iam sublimiorem imaginem Socratis ostendit et postremo Simmias eam sententiam profert, quae daemonium nullo modo sensibus, sed animo solo perceptum esse docet. Sic eundem ordinem ad maiora ascendentem invenimus quem in ceteris libris.

Ante Simmiae sententiam explicatam sermo interpellatur (cap. 13—19). Sed cur interpellatur et cur per tantum spatium? Et qua re adductus auctor praeter consuetudinem Galaxidori sententiam refelli facit idemque iterum refellit, ut haec sententia falsa diutissime valeat?

Plutarchum per totum librum Platonem secutum esse iam commemoravimus. Phaedonem imitatus est. Quod ut demonstrarent etsi viri docti iam multos locos attulerunt, nobis non nihil adiciendum est. Omittamus ea quae supra de exordiis diximus (p. 17), omittamus et ea quae Hirzel (II 149 sqq.) exposuit de Simmia, de loco actione aliis rebus; id primum addemus Plutarchum etiam tali animi motu nos afficere conatum esse qualem Socrate moriente Phaedon efficit, cum Charonem mortis periculum obeuntem praeclara verba dicentem et Capheisiam illius momenti memoria permotum sublimibus verbis utentem fecerit [1]). Sed Socrates poculum illud mortiferum iam in

1) 595 D: δάκρυα πολλοῖς ἐπῆλθεν ἡμῶν ὦ 'Αρχίδαμε πρὸς τοὺς λόγους τἀνδρός· αὐτὸς δὲ ἄδακρυς καὶ ἄτεγκτος... — Phaed. 117 b—d: κλάων καὶ ἀγανακτῶν οὐδένα ὅντινα οὐ κατέκλασε τῶν παρόντων πλήν γε αὐτοῦ τοῦ Σωκράτους. 'Εκεῖνος δὲ, Οἷα, ἔφη, ποιεῖτε, ὦ θαυμάσιοι... καὶ ὃς λαβὼν καὶ μάλα ἵλεως, ὦ 'Εχέκρατες, οὐδὲν τρέσας οὐδὲ διαφθείρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου...

manu tenet, Charon paulo post incolumis revertitur. Nostra autem plus interest sermonum ipsorum tenorem comparare: ea re maxime differunt, quod apud Platonem sermo de immortalitate habitus, apud Plutarchum Thebae liberandae et quae cum illis cohaerent, primum locum obtinent. Et in Phaedone quaecumque dicuntur ad immortalitem pertinent vel quae initio de morte voluntaria, apud Plutarchum de variis atque diversis rebus colloquuntur. Sermo interrumpitur, sed Plato non multa verba aliena hoc sermone inclusit (p. 88 c sqq.) sicut Socratis (vel Platonis) est, ne nimis longis disceptationibus defatiget intermissis aliis partibus, quae minus difficilia sunt ad intellegendum, recreandi spatium praebere (e. g. Euthyphr. 11 c sq.); Plutarchus longissimos sermones inseruit neque vero respirandi facultatem dare opus erat. Attamen eum etiam hoc loco imitatum esse diligentius illustrabimus.

Cum sermo interrumpitur, tum in utroque dialogo ea sententia valet quae postea refellitur (ut Galaxidori ita Simmiae Cebetisque); Phaedon omnium animos demissos fuisse plane et aperte dicit (88 c). Simulac sermonem rursus ingressi sunt, Socrates falsas opiniones redarguit, Simmias Plutarcheus falsas non iam respiciens veram sententiam explicat. In ea quoque re imitationem deprehendimus, quod antea bini viri singula argumenta contra unam sententiam attulerunt (Simmias et Cebes contra Socratem, Polymnis et Pheidolaus contra Galaxidorum, quamquam infirmum Pheidolai argumentum cum Polymnis verbis facile coniungi poterat). At apud Platonem ea quae opponuntur, ante sermonis intercapedinem intacta stant, apud Plutarchum iam antea refelluntur. Hinc profecti Plutarchi consilium facillime intellegemus. Nam etsi Plutarchus sine dubio in Polymnis et Pheidolai argumentis aliquid veri inesse putabat, tamen eos refelli necesse erat, ut falsa opinio tum vigeret. Apud Platonem enim recta sententia impugnatur, cum Socrates ipse ab hac profectus sit; Plutarchus a falsa sententia proficiscitur, id est summum discrimen, e quo reliqua omnia nascuntur.

Sed si Plutarchus Platonis auctoritatem secutus sermonem interrupit, cur multo maius spatium quam in Phaedone intermitti passus est (c. 13—19)? Hippostheneidam hic induxit, ne ob longos sermones coniurationis oblivisceremur (c. 17—19). In altera parte (c. 13—16) exemplo demonstrare vult, quanta similitudo intercesserit inter Epaminondae, Socratis Boeotii, vitam consuetudinem sententias et Socratis Atheniensis. Id quod ita faciendum erat, ut haec pars eiusdem momenti putari non posset atque summum propositum. Accedit, quod hic sermo de geniis institutus pro summa dialogi parte non usque ad ultimam fere libri partem differendus erat. Quae cum ita essent, Plutarchus summo sermoni in duas partes distributo eum sermonem, qui de Epaminondae paupertate habendus erat, immisit atque inclusit.

Itaque nunc sermo est distractus, recta sententia multo post falsas exponitur in altera sermonis parte (cap. 20—24). Simmias et Theanor auctoris sententiam explicant cuius tres partes sunt secernendae: Simmiae interpretatio, mythus Timarcheus, Theanoris verba. Quarum sententiarum argumenta et repugnantias evolvere non est huius operis[1]). Simmias et Theanor inter se consentiunt;

1) Hirzel II 158 sqq. Heinze, Xenokrates 104 sqq. — 589 B αἱ δὲ τῶν δαιμόνων (sc. νοήσεις) φέγγος ἔχουσαι τοῖς δυναμένοις ἐλλάμπουσιν οὐ δεόμεναι ῥημάτων οὐδ' ὀνομάτων.. Genius animos hominum regit sine voce attingens (ἄνευ φωνῆς) eo quod intellegitur (τὸ νοηθέν). Hic tactus efficitur simili modo atque lumen repercutitur et refulget speculo (ὥσπερ φῶς ἀνταύγειαν ἔχει, quo verbo in mytho iterum utitur 591 E: ὥσπερ ἐν τοῖς ἐνόπτροις τὰ φαινόμενα κατ' ἀνταύγειαν). Deinde speculi similitudo adhibetur: „geniorum cogitationes lucem habentes (φέγγος) affulgent idoneis“, eorum cogitationes solae revera elucent; hominum ipsorum cogitationes ab aliis hominibus non perspiciuntur, sed earum imagines vocibus proditae (εἴδωλα καὶ εἰκόνας). Is homo cuius mens ipsa speculum est, is lumen videt, non imaginem luminis. Verba πλὴν οἷς (589 C) spectant ad αὐτά (νοούμενα), non ad homines, ut Holwerda (p. 145) alii censent, nam de splendore cogitationum, non hominum antea sermo erat (ὥσπερ εἴρηται) et hominum cogitationes lumen non habent (αἱ τῶν δαιμόνων φέγγος ἔχουσαι). Ut speculi similitudine tota utamur, scribemus τοῖς δυναμένοις

alter alterius verba illustrat et coniuncti Plutarchi sententiam praebent[1]).

Dubitare non possumus quin Simmias Socratis amicus, qui iam in Phaedone magnas partes agit, principatum obtineat: iam per primum de Alcmene sermonem eius auctoritas laudatur (cap. 6—7), ceteri ei principatum concedunt (p. 82_1), mythum qui ea illustrat quae auctor testimoniis probare non valet enarrare non potest nisi princeps (p. 28), Simmias postremam interpretationem profert. Nam quae Theanor addit, ea omnium geniorum condicionem, non Socratici genii solius explicant, quamquam ille hanc quaestionem adiuvare iubetur (592 F). Sermonis argumentum auctum est, sicut facile a rebus singularibus ad communes transitur. Iam mythi argumentum eo ascendit; nam Timarchus etsi in Throphonii oraculum se confert, ut „Socratis genium quam vim habeat cognoscat“ (590 A), postea nusquam id cognoscere studet, quin etiam apud inferos interrogatus quid ibi comperire velit, respondet: πάντα, τί γὰρ οὐ θαυμάσιον; (591 A). Sed cum praeterea maiores repugnantiae exstent inter mythum et Simmiam Theanoremque[2]) quam ut Plutarchus consulto eas inseruerit,

<ἀνταυγεῖν> ἐλλάμπουσιν: genii in eorum animis fulgent, qui fulgorem (φέγγος) refulgere possunt.

1) cap. 23, 592 F; 24, 593 A. Hirzel II 161, Heinze, Xenokr. 104.

2) Summum discrimen eruere satis habeo: in mytho genius est idem atque mens (νοῦς) uniuscuiusque hominis, quae vinculo quodam (σύνδεσμος) semper cum illo conexa est (591 D sqq. ψυχὴ πᾶσα νοῦ μετέσχεν . . . οἱ πολλοὶ νοῦν καλοῦντες ἐντὸς εἶναι νομίζουσιν αὐτῶν, οἱ δ' ὀρθῶς ὑπονοοῦντες ὡς ἐκτὸς ὄντα Δαίμονα προσαγορεύουσι, quae mentis et animae ratio Platonis vel Aristotelis mentem (νοῦν) respicit, Zeller III 2 195). Sed Simmias: ὁ τοῦ κρείττονος νοῦς ἄγει τὴν εὐφυᾶ ψυχήν (588 E); et Theanor animam et mentem non secernens declarat genios esse animas quae non iterum renascantur (593 D αἱ δ' ἀπηλλαγμέναι γενέσεως ψυχαί); in mytho homines nulli dis curae sunt, apud Theanorem pauci. — Describuntur τὰ ἄνω 590 C sqq., sed mirum est quod mox legimus 591 A ἀλλ' ἡμῖν τῶν ἄνω μέτεστι μικρόν. Describuntur omnia quae Timarchus vidit, sed quomodo hae res mirae quae ibi videntur, intellegendae sint, non explicatur, quamquam Timarchus omnia cognoscere volebat; nam vox illa quae dicit loquitur de geniis vel animis tantum quae in luna sunt:

Plutarchus mythum quem Phaedonis imitandi causa addidit, non ipse invenisse videtur. Ut mythum adnecteret, initio pauca verba de Timarcho et Socrate adiecit (590 A)[1]).

Mythum igitur totum eximere possumus, sicut Theanor eum eximit (593 A). Sed cur Theanoris verba non a Simmia pronuntiantur, cur summa sententia explicata alius homo loquitur? Post principem dicere non potest nisi is cui par auctoritas atque principi tribuitur, ne alterius verba debilitentur. Et Theanor hospes saepe laudatus iam multum auctoritate valet priusquam adest. Laudatur iam ubi primum nominatur (cap. 6, 578 E περιττῷ γὰρ ἀφ' ὧν λέγεις τινὶ καὶ οὐκ ἰδιώτῃ ἔοικεν), paulo post Polymnis narrat quare vir insignis advenerit (c. 8, 579 D ἄνδρα γενναῖον, E: Πάνυ θαυμαστὸν λέγεις ἄνδρα καὶ φιλοσοφίας ἄξιον); postquam in scaenam prodiit, et ipse laudatur, et statim magnae dicendi partes ei tribuuntur (cap. 13 sqq., 582 E). Sed fere ubicumque inducitur, laudatur quod Pythagoreus est: 578 D, 579 D ἐξ Ἰταλίας τῶν Πυθαγορικῶν, 582 E: Κροτωνιάτης τῶν ἐκεῖ φιλοσόφων οὐ καταισχύνων τὸ μέγα Πυθαγόρου κλέος, 592 F ὅρα μὴ καὶ τὸν ξένον ἡμῖν παρακλητέον ἐπὶ τὴν ζήτησιν, οἰκεία γὰρ πάνυ καὶ προσήκουσα θείοις ἀνδράσιν. Itaque auctorem nostrum cum suam sententiam semper postremo loco proferri faciat, Pythagoreum scripsisse hunc librum putares. Sed neque tum erat a Pythagora[2]) et

pars exponitur. Quod Timarchus omnia comperire vult, multo magis fontem et conexum primorem redolet, unde etiam descriptio regionum superiorum irrepsit.

1) Theanor dicit 593 A: ἐγὼ τὸν μὲν Τιμάρχου λόγον ὥσπερ ἱερὸν καὶ ἄσυλον ἀνακεῖσθαί φημι τῷ θεῷ χρῆναι, θαυμάζω δ' εἰ τοῖς ὑπὸ Σιμμίου λεγομένοις αὐτοῦ δυσπιστήσουσί τινες . . . sic traditum, λεγ. περὶ αὐτοῦ Reiske (adnot.: περί αὐτοῦ, de eo, Timarcho puta. Superior enim de Timarcho narratio Simmiae fuit), Bernardakis. Simmias autem de Timarcho nil dixerat nisi eum in antrum descendisse infraque miras res spectavisse. Sed Theanor cum explicet quo iure ut olores ita homines divini appellari possint (ἀνθρώπους εἶναι θείους καὶ θεοφιλεῖς), ea respicit quae Simmias ipse praeter mythum antea dixerat de geniis velut 589 D: οὓς δὴ καὶ ἱεροὺς καὶ δαιμονίους καλοῦμεν. Scribendum igitur ut traditum ὑπὸ Σ. λεγ. αὐτοῦ: quae Simmias ut suam sententiam explicavit.

2) Plutarchus adulescens Pythagoreos sequebatur (p. 35_1), de E

Theanor pauca dicit, Simmias plurima et Socrates multo magis praedicatur quam Pythagoras[1]). Quod tamen Theanor quamquam neque ipse est princepes neque auctor Pythagoreus, post Simmiam loquitur, id explicari non potest nisi ex tota libri indole atque auctoris consilio quae nunc nobis sunt consideranda.

Tria (vel quattuor) argumenta exstant quae quomodo cohaereant nunc quaeritur: fabula Thebarum liberandarum, sermo de Socratis genio institutus, cuius est finis explicare quam vim et quam rationem genius Socraticus et omnes genii habeant, visus nocturnus Theanoris, cuius cum adventu sermo quem de Epaminondae paupertate habent conexus est.

Accedit parvus sermo de Alcmenes sepulcro initio institutus (c. 5. 7), qui non totus uni ex illis partibus adscribi potest, sed cum ad dialogi finem atque consilium animos iam traducat, non parvi aestimandus est. Per hunc sermonem causa affertur, cur Lysanoridas coniura-

cap. 7, Hirzel II 124, Muhl, Plut. Studien (Progr. Augsbg. 1885) p. 59. Paulo post annum 66 ad Academiam se convertit: de E 7 p. 387 F, nam hoc anno sermo ille de E est habitus (385 B). Dialogum autem multo post scriptum esse vidimus. Sed magnas disciplinae Pythagoreae partes semper retinebat atque colebat, Muhl l. c. „weil einige Seiten des Pythagoreismus ihm zeitlebens sympathisch geblieben sind, so seine Zahlentheorie, seine Vorliebe für Pflanzennahrung." In quibus partibus disciplina quoque geniorum habenda est. Neque valde hac re ab Academia recedebat, cum haec doctrina postea utrisque disciplinis esset communis. Xenocrates eam firmo in fundamento condebat, quam doctrinam per Posidonium paululum mutatam omnes secuti sunt qui postea de geniis scripserunt (Pohlenz, vom Zorne Gottes 133 sqq., Heinze, Xenokr. 96 sqq., 108). Pythagorei novi qui dicuntur, multas sententias cum a Platone et Aristotele tum a Stoicis (Posidonio) depromebant (Schmekel, Phil. der mittleren Stoa 403 sqq.). Itaque hac doctrina non tam disciplinae quam singuli viri differebant; eadem sententia et Academica et Pythagorica nominari potest. Plutarchum cum Theanorem Pythagoreum saepissime laudet, certe eorum doctrinam in Theanoris verbis secutus est, sive ex fonte quodam scripto sive ex adulescentiae memoria haec hausit.

1) cap. 9, 580 C et paulo post cap. 10, 580 C.

tionis temporibus non adfuerit[1]). Ad hoc sunt respicienda verba p. 578 A: ἀλλ' οὐδ' αὐτοῖς Λακεδαιμονίοις ἀμήνιτον ἔοικεν εἶναι τὸ δαιμόνιον: divinum quiddam, genius qui genius loci esse videtur irascitur, quae ira est Lysanoridae causa abeundi. Sic hic cum iam ubi τὸ δαιμόνιον primum commemoratur, multum valeat eius vis, sermo de geniis praeparatur. Summa autem sermonis inscriptione in sepulcro inventa continetur, propter quam fabula illa narratur, quae summa est laus philosophiae. Studium enim philosophiae a deo litteris illis obscuris postulatur[2]) et eodem spectant Platonis verba statim allata, quibus ut Delios ita omnes Graecos philosophari iubet[3]). Quae res quid in dialogo nostro sibi velit, postea explicare conabimur. —

Epaminondas Pythagoreorum dona a Theanore allata recusat cap. 14—16; qui sermo ortus est ex Theanoris adventu et mandato. Cum fabula Thebana non cohaeret nisi quod Epaminondae Thebani qui etsi non ipse in numero coniuratorum est, tamen multum cum iis est et magnam auctoritatem habet, ingenium atque indoles demonstratur. Merita haec dona recusat ut Iasonis Thessali iniusta; ultro cum patre et fratre in paupertate manet sicut Socrates quamquam divitem esse licet. Ut enim semper cupiditates et libidines abicere studet, turpibus voluptatibus abstinet (584 E, 586 C), quin etiam lucro iusto et voluptatibus concessis aliquando desistit, sic pecuniam nunc recusat ut abstinentiam exerceat atque propius ad veram virtutem accedat. Neque pater et frater

1) 578 A νῦν ἄπεισιν εἰς Ἁλίαρτον.

2) 579 A παραινεῖν τοῖς Ἕλλησι διὰ τῶν γραμμάτων τὸν θεὸν ἄγειν σχολὴν καὶ εἰρήνην, διὰ φιλοσοφίας ἀγωνιζομένους ἀεί, Μούσαις καὶ λόγῳ διακρινομένους περὶ τῶν δικαίων, τὰ ὅπλα καταθέντας.

3) 579 D τὸν θεὸν προστάσσειν Ἕλλησι πᾶσι πολέμου καὶ κακῶν μεθεμένους Μούσαις ὁμιλεῖν . . ., cf. Phaed. 60 e sqq. — Exstat inter sermones etiam hic conexus quamvis minoris momenti: Deus philosophari iubet, sed geniorum doctrina habetne locum in philosophia? Galaxidorus id negat 580 A, Plutarchus id ponit, cum genii homines revera ducant, cuius rei sint testes Socrates et Epaminondas.

multum ab eo recedunt. Epaminondas vere magnum virum se praebet ut Simmias statim praedicat (cap. 16, 585 D μέγας, μέγας ἀνήρ ἐστιν 'Eπ.), ut princeps Graeciae erat iudicio non modo Ciceronis (Tusc. I 4), sed iam Ephori, Dicaearchi, Aristoxeni [1]). Quis Epaminondam audiens non Socratis meminerit, qui pauper manebat amicis divitias offerentibus, qui eodem modo semper virtuti studebat neque unquam se eam assecutum esse putabat, quem Epaminondas non minus sequebatur quam Lysidem? De geniis hic nil proditur, sed ex silentio aliquid effici videtur; nam ut Socratis ita Epaminondae vita per genium quendam regebatur (586 A); hoc autem sermone ostendit se non modo genii voluntatem sequi, sed se ultro rectam viam ingredi et sua sponte philosophiae praecepta observare, quae meditando et cogitando probaverit. Genii paucos homines ducunt, qui iam sua sponte rectam viam elegerunt (586 A, 593 A); Epaminondas dignus est, quem iam ducant. Sic ille vere est θεῖος καὶ δαιμόνιος. Et si Epaminondas, etiam Socrates suo iudicio vitam gerebat, etsi per genium adiuvabatur.

De geniis nihil dicebatur, genii autem iam per Theanorem laudantur in cap. 13 et 16, quae illum de paupertate sermonem includunt. Quae partes a Theanoris fabula separari non possunt, Theanor fere solus exponit quam ob rem advenerit et quid assecutus sit.

Theanoris nomen postquam iam ubi primum nominatur lectoris animum permovit ut res singulares eventuras esse speret (578 E περιττῷ γάρ τινι καὶ οὐκ ἰδιώτῃ προσέοικεν), ubique cum geniis est coniunctum. Iam 579 E genii visum exspectavisse dicitur, 583 B ipse Lysidis genium Pythagoreis eius mortem nuntiavisse narrat, postea se in

1) Pohlenz ad Tusc. I 4 (Cic. Tusc. erklärt v. Pohlenz 1912). — Epaminondas in sermone de geniis instituto sententiam pronuntiare potuit. Sed propter Theanorem et Simmiam, viros peritissimos, tertio eiusdem sententiae viro locus non relinquebatur. Et viro clarissimo certam sententiam imponere semper est difficile ubi fons deest. Itaque Polymnis filium taciturum excusat (592 F).

Lysidis sepulcro genii vocem audivisse et Epaminondam per genium regi dicit 585 F. Vocem ergo quandam noctu audivit, nihil vidit, ut aperte confirmatur (585 F); Socrates quoque genium non vidisse, sed vocem genii tantum audivisse dicitur [1]): sic sermo de geniis habitus illustratur per genios qui Pythagoreis apparent. Sermones sane non ut chori verba facta comitantur sicut in amatorio (p. 56), sed facta illustrant atque probant rem quae non facile creditur neque satis verbis demonstrari potest. Per omnes autem sermones gradationem video: genius irascitur, Theanor genium exspectat, deinde Socratis δαιμόνιον esse divinum quiddam ponitur, sed in dubium vocatur, dum factis demonstratur et per Simmiam et Theanorem eius natura explanatur. Viso illo a Theanore narrato dubitari non iam potest, quin genii hominibus appareant. Quod ut Socrati ita aliis quoque hominibus evenire ut demonstraretur, viris rerum obscurarum peritis opus erat. Cum in hac arte Pythagorei plurimum praestarent et apud auctorem ipsum haec doctrina semper magno in honore esset, Theanorem arcessi mirum non est. Itaque cum praeterea Socratis discipulum Thebanum clarum inducere auctor vellet, duo viri non eiusdem disciplinae (Simmias et Theanor) sententiam pronuntiare debebant. Sed quia haec geniorum doctrina Academiae cum Pythagoreis paene communis erat, illi non pugnabant. Consulto autem eos non de eadem re loqui facit autor, sed Simmias qui rem optime cognovit ut discipulus, explanat quid Socratis daemonium sit et quomodo genii vox hominem attingere possit, Theanor de omnibus geniis loquitur exponens quot et qui homines ab iis adiuventur. Plutarchus igitur quid sit Socratis genius per dialogum explicare in animo habebat, quod consilium Theanoris adventu sublevatur.

Sed quam vim tertia pars, fabula Thebana in hoc libro habet? Num illustrat sermones sicut fabula in

1) 588 C; sicut Timarchus quoque in mytho nihil vidit, sed vocem audivit 591 A, 592 E.

amatorio? Ipse auctor fabulam cum dramate comparat [1]; at periculosa dramatis episodia sunt fabulae partes velut Charonis periculum aut Hippostheneidae facinus; ad sermones id non pertinet. Sed aliud consilium ipse aperit Plutarchus: opprobrium odii verborum quod Boeotis saepe factum erat, tollere et delere vult [2]); omnes fabulae partes diligentissime narrat, quia rebus minimis cognitis apparet quantum homines rationis in factis adhibuissent [3]). Qui verba odit, ei parum mentis et rationis est; quae res Boeotis saepe opprobrio datae erant; nunc Atheniensis in factis rationem apparere dicit. Plutarchus illa reicit, cum id facinus describit quod diligentissime et paratum et perfectum est. Praeterea iam per primum sermonem philosophia summis laudibus effertur, cum Graeci philosophiae studere per deum iubeantur (c. 5. 7). Thebani id iam persequuntur, nam coniurati cotidie colloquuntur de his rebus (cap. 2, 576 B φανερῶς δὲ διατρίβειν ἐπὶ λόγοις καὶ φιλοσοφίᾳ), quin paucas horas ante tyrannos interficiendos de quaestionibus difficillimis agunt. Boeotorum autem princeps est Epaminondas qui maxime dei verba sequitur. Ergo Thebani vel Boeoti imitandi sunt, Plutarchus cives suos ut exempla vel specimina inducit.

Cum deus Graecos quietem agere iubeat, non consentire cum Plutarchi proposito videtur, quod Thebis tum contra Lacedaemonios pugnatur. Sed Thebae contra tyrannos surgunt, contra iniustam illorum dominationem, haec pugna est iusta et per pactionem, non proelio finitur. Epaminondas autem ipse pugnae non interest, ne civem indemnatum necet. Sic eo magis dei verbis oboedientem se praebet.

Plutarchus amore patriae flagranti coactus vitia

1) cap. 30, 596 D: καθάπερ δρᾶμα τὴν πρᾶξιν ἡμῶν ἀπ' ἀρχῆς διαποικίλλουσα κινδυνώδεσιν ἐπεισοδίοις εἰς αὐτὸ συνέδραμε τὸ ἔργον, ὀξὺν ἐπιφέρουσα καὶ δεινὸν ἀνελπίστου περιπετείας ἀγῶνα.

2) 575 E: τὸ κατὰ Βοιωτῶν ἀρχαῖον εἰς μισολογίαν ὄνειδος, cf. 575 D.

3) 575 C: τόλμας ἔμφρονας παρὰ τὰ δεινὰ καθορῶντα, καιρῷ καὶ πάθει μεμιγμένου λογισμοῦ.

Boeotorum vetera iam pridem esse deposita demonstrat. Duplex igitur erat consilium auctoris; et opprobria illa reicere et Socratis daemonium per sermones tractare volebat. Quae argumenta inter se non cohaerent [1]), coniuncta autem sunt vario modo: Iidem viri colloquuntur et agunt, apud Simmiam Socratis discipulum conveniunt, Theanor vir sanctus coniurationis temporibus advenit, ut Epaminondae Pythgoreorum gratias referat Lysidemque reducat, imprimis autem Socrates et Epaminondas quem hoc modo auctor Socratem Boeotium iure putari demonstrat, inter se comparantur: uterque summae virtuti ac philosophiae studebat, et Epaminondas quoque per genium regitur; id conectit res Thebanas maxime cum sermone; quae res Theanoris fabula illustratur. —

Sed sermones cum coniurationis Thebanae fabula coniungere in mentem ei non venturum fuisse verisimile est, nisi tum in illorum temporum historia (in vitis) scribenda occupatus fuisset.

9. De Pythiae oraculis.

Ut sermonum minorum indolem cognoscamus, nonnullas dialogi *Pyth* partes accurate inspiciamus.

Adulescentem quendam Diogenianum Delphos venientem hospites ad ea quae visenda sunt ducunt et unumquidque ostendunt; ambulantes de multis rebus statuis donis cum periegetae res explicaverunt, varios sermones instituunt, qui sermones omnes cum dialogi scaena artissime cohaerent. Hospitem induxit Plutarchus ut demonstraret qua re tum commotus esset ut hos sermones (quales saepe habuit) litteris mandaret; itaque Philinus et Basilocles initio de hospite ipso — qui fortasse revera

1) Satis multi exstabant, quos Plutarchus imitari poterat, inde ab Heraclide Pontico et Dicaearcho; ut illi ita Plutarchus etiam miracula historiae immiscet (Diels, Ber. Berl. Akad. 1901 p. 394: akademisch-peripatetische Romantik). Dicaearchi meminimus, quod Timarchus in Trophonii oraculum descendit.

paulo ante Delphis fuerat — colloquuntur, quem bonae indolis atque ingenii esse oportebat, ut coram eo magni sermones oriri possent. Eo ordine quo Delphis ad singulas res venitur, Plutarchus eos progredientes facit (395 B: ἀπ' ἐκείνων γὰρ ἦρκται τῆς θέας), eum autem sermones de paucis rebus elegisse consentaneum est quos pervulgari cuperet; postrema spectaculi pars omittitur, ne nimis magna libri pars sermonibus parvis absumatur, vel ut ipse dicit in aliud tempus differtur, cum tempus deesse videatur (402 B), sicut illi iam antea iter accelerare cupiverunt (cap. 2 in. δεηθέντων ἐπιτεμεῖν τὰς ῥήσεις). Periegetarum verba semper omittuntur, res explicandae paucis verbis describuntur, satis multis ut intellegi possint, sed tam paucis ut Plutarchum imprimis eos respicere appareat, qui Delphos viserunt. Non Delphos igitur describere in animo habet, sed miras quasdam res explicare.

Prima quaestio ad physica pertinet, quae praeter quaest. conv. non saepe ab illo tractata invenimus. Miratur Diogenianus statuarum aënearum colorem unde tam floridus factus sit; qui sermo est multo diligentius aliis compositus. Ipse qui miratur Diogenianus primam sententiam profert, cum colorem illum temperatione quadam aeris perfectum esse opinatur sicut aeris Corinthii colorem, qui casu a fabro quodam inventus sit. Similem fabulam de aere Corinthio narrat Theon, sed addit utramque esse fictam, mixtura quadam Corinthii aeris colorem ortum esse (μῦθός ἐστιν, cf. de E 4: ταυτὶ παντάπασιν ἐκ πίνακος καὶ πυλαίας). Recta sententia postremo loco posita est; nova autem ratione fit, ut idem falsam sententiam proferat idem rectam.

Plutarchus igitur sermonem de aere Corinthio ortum similitudine quadam (ἄρα κρᾶσις ἦν . . ὥσπερ ἡ λεγομένη στόμωσις . .) inseruit nostro sermoni qui de colore statuarum habetur, sed est digressio, qua etiam fit ut Theon ob eam respondere omittat ad id quod Diogenianus quaesiverat. Itaque is Theonem deinde admonet, ut huius coloris causam explicet. Theon rem ipsam aggreditur et

demonstrat ex aëre colorem illum oriri; id ipse ponit, sed una cum hospite inquirere vult qua ratione aer id effiiciat: κοινῇ ζητῶμεν. Quibus verbis manifeste demonstratur quantopere Plutarchus omnino sibi Platonem imitandum proposuerit; nam hoc ipso loco ut tota ratione (κοινῇ ζ.) ita multis verbis imitatio elucet (395 E sqq.): ἐπιθυμεῖς μαθεῖν; — καὶ γὰρ ἐγώ — ζητῶμεν κοινῇ — καὶ πρότερον εἰ βούλει — εὖγε ὦ παῖ σκόπει δὲ καὶ — ἀλλὰ βούλομαι — ἄν τι τοιοῦτον ὑποθέσθαι δυνηθῶμεν —, quorum verborum similia in omnibus fere Platonis dialogis inveniri nemo nescit. Theon ipse sicut Socrates se id nescire simulat, sed sermonis tenorem regit: a simili re proficiscitur, quo facilius ratio vera enucleari possit; interrogat qua re fiat ut „de omnibus humoribus oleum maxime aerugine oppleat". Diogenianus ilico ex olei tenuitate id fieri censet; quo laudato Theon Aristotelis explicationem addit, id ex olei densitate fieri. Deinde Theon ambas rationes coniungens — etsi id non aperte dicit — colorem ex densitate et tenuitate aëris effici demonstrat et postremo Diogenianum redarguit qui eandem rem non esse tenuem eandem densam opposuerat. Omnes cum tacent, assentiuntur (γενομένης σιωπῆς). Falsa ergo sententia refutata uterque aliquid affert, deinde Theon ea coniungit et postremos scrupulos removet. Alterno sermone veras rationes eruere student nec dubitari potest quin auctor alacrem sermonem dramaticumque ut ita dicam assecutus sit. Non omisit suo modo complures sententias proferre, sed id tamen cum Platonis hilaritate coniungi posse ostendit.

Progressi postea ad Hieronis statuam tyranni veniunt (cap. 8); miratur Diogenianus id quod periegetae narrant columnam quandam supra statuam positam eodem die concidisse quo ille mortuus esset; qua re Philinus commovetur, ut similia portenta ac miracula describat. Haec praetermittimus, sed iis explicatis addit Philinus pauca verba e quibus longi sermones nascuntur (p. 53₁). Nam homo vere Stoicus dei providentia miracula illa accidisse censet omniaque divinitate esse repleta. Philinus haec verba quasi

appendicis loco addit, sed Boetho contra dicente in miraculorum originem, utrum divina sit necne, diligentius inquirere necessarium fit. Epicureus enim cum ironia respondet miracula casu evenire quod fieri Philinus irritatus indignatusque negat.

Sic magna quaestio orta est. Profecto etiam oracula in miris rebus numeranda sunt, itaque iure oracula statim ad illam quaestionem adnectuntur (c. 9), quoniam iam de oraculis paulo ante collocuti sunt (c. 5) vel potius quoniam in toto hoc dialogo Plutarchus oracula tractanda sibi proposuit. Sed deinde (cap. 9—11) amici de oraculis solis colloquuntur non de miraculis; quaestio illa igitur a re communi vel a genere ad partem deducitur et auctor miraculis pro exordio usus est ut ad oracula iterum transiret. Sed quamquam illum sermonem (de miraculis) Philini verbis non ad finem adductum esse apparet, tamen magna cum arte Plutarchus id assecutus est ut nos vix cognoscamus nos ad rem minorem deduci cum haec quoque sermonis pars denuo cum scaena conexa sit; nam tum de oraculis loqui incipiunt, cum ambulantes ad Sibyllae saxum venerunt (c. 9). Ibi paene novus sermo de oraculis in nova scaena ad Sibyllae saxum institui videtur, quoniam Serapion ex carminibus suis fabulam Sibyllae edit; sed tamen sermo artissime cum priore conexus est, cum Philinus iam antea de Sibyllinis verba fecerit (c. 9 in.); cum Boethus ea etiam magis quam priora irrisisse dicatur (ἔτι μᾶλλον ἦν φανερὸς καταγελῶν 398 D), ergo rem similem irrideat; cum denique eaedem sententiae de deo et de casu proferantur neque Boethus de Philini verbis postremis tacere possit quasi sermo iam finitus sit; eoque magis cohaerent quod etiam antea Boethus oracula cum ironia perstrinxerat (398 A). — Boethus in sententia perseverat, dum certissinis argumentis refutatus est; tum tacet (cf. p. 45, ubi de hoc sermone iam dixi). Certum autem progressum per totum sermonem persequi possumus: a miraculis omnibus ad oracula transitur, a Serapionis fabula

ad oraculorum fidem ascenditur, quae in dubitationem vocata tandem certissime demonstratur. —

Illorum sermonum compositionem et conexum diligenter tractanda esse putavi, quia hic Plutarchi ars quanta sit dilucidius perspici potest quam in longis dialogis. Nam Plutarchus cum rem quandam accuratissime explicare studet, omnes qui sermoni intersunt, copiose et uberrime sententiam proponentes inducit idque tantopere, ut propter id ipsum sermonis natura obscuretur. Sed si cui sermoni non multum spatii relinquitur itaque Plutarchus compressius loqui cogitur, sermones multo artificiosius compositi sunt, dummodo argumentum dignum fuerit, in quo tractando ille tantam operam collocaret. Nam qui sermones proximis capitibus (12—16) continentur, dignam materiam praebuisse non videntur, sed conscripti sunt, ut Plutarchus aliquid Delphicae doctrinae proponeret.

Maioris momenti una quaestio oritur, cum disputent de turpibus quibusdam donis Delphicis (c. 14—16). Adulescens Diogenianus primus miratur et indignatur, deinde Serapion; is ipse a Theone petit ut rem explicet. Laudantur et vituperantur dona et dedicationes, nos indignari Plutarchum sicut Diogenianum sentimus; ex parte Theon (Plutarchus) ea artificiose expedire potest velut Phrynae statuae dedicationem, sed Rhodopidis dona, de quibus Diogenianus primo disputari cupiverat, a Theone ne commemorantur quidem. Unus Theon rem explicare conatur ab aliis provocatus, id quod sane mirari oportet quod ad tantam rem non plus una sententia profertur. Inde factum est, ut compositio multo simplicior sit quam priorum: complures mirantur, unus rem explicat. Sed materies idcirco accuratius illustrata non esse videtur, ut tandem ad summum propositum veniatur. Sermone interrupto (cap. 17 ἐπιβάλλοντος τοῦ Σεραπίωνος εἰπεῖν τι) tum ut est Plutarchi ambulandi visendique finem faciunt et Diogenianus considere amicos iubet (402 B). Deinde redeunt ad eum sermonem quem antea abruperant et distulerant (cap. 5—7).

In capite 17 propositum esse dicitur explicare quid causae sit, „cur Pythia desierit heroico aliisque carminibus oracula edere“. Sed initio (c. 5) ab alia re profecti erant, de pravis enim oraculorum verbis et metris sermonem instituerant. Etiam is sermo cum ambulationis scaena conexus est, nam Diogenianus oraculo quodam recitato verborum atque metri pravitatem miratur ut illius ita plurimorum oraculorum. Diogenianus nihil declarat nisi ea prava esse quamquam dei sint, unde Serapion et Boethus diversissimo modo suam uterque rationem concludunt, cum alter alteram illorum verborum partem premat et alter illa esse dei praedicet, alter esse prava. Itaque Serapion bonam esse eorum formam exponit quia a deo dentur, contra Boethus deum ea non vaticinari posse dicit, cum prava forma sint[1]). Serapion tamen sententiam rursus a Boetho defendit et dei ἀπάθειαν Stoicam laudat, quae voluptatem non permittat. Diversissimae sententiae oppositae sunt, itaque opus est arbitro, cuius munere ibi Theon fungitur. Demonstrat oracula vel potius eorum formam non Apollinis esse, sed a Pythia formam addi Apolline motum iniciente (ἐνθουσιασμός). Utrique ergo sententiae aliquid concessit: sunt oracula dei (Serapioni concessit), sed forma prava est (Boetho). Re hoc modo expedita sententiae illae retineri non iam possunt.

Deinde a Diogeniano rogatus ut explicet quare oracula tum prosa oratione edantur, Theon id differt, dum visendi finem fecerint. Cum antea de verbis et metris disputaverint, tum quaestio sine iusta causa sic definitur, ut illud unum quod dixi tractetur. Sed id maxime oraculis opprobrio factum esse videtur illis temporibus (οὐδεὶς γὰρ ἔστιν Ἑλλήνων ὃς οὐκ αἰτίαν ἐπιζητεῖ ... cap. 7 extr.); accedit, quod hac re ex parte quaestiones aliae

1) Ut Plutarchus compositionis lineamenta aperte ostendere solet ipse alterum alterius verba invertere diligenter explanat 396 E: τοῦτο ... ἐνίους τῶν λόγων πάσχειν ὅταν ἀναστραφῶσι· διὸ καὶ τοὺς χρησμοὺς ἔνιοι φήσουσιν οὐ καλῶς ἔχειν ὅτι τοῦ θεοῦ εἰσιν, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ μὴ εἶναι ὅτι φαύλως ἔχουσιν.

continentur. Dispositio huius partis igitur est ea ut primo Diogenianus rem miratus narret; deinde ex ea re alii vario modo concludunt et disputant, dum Theon controversiam dirimit; non singulos semel dicentes induxit, sed alacritatem eo auxit Plutarchus, quod Serapionem a Boetho quoque sententiam defendentem et omnes fere cum omnibus pugnantes vel irridentes fecit. — Ergo de divino oraculorum ortu dubitari non potest; id prius constituendum erat quam oraculorum formae commutatio explicaretur; sic quaestio ubi abrumpitur, ad finem quendam adducta est.

Itaque postea amici ubi ad rem redierunt, propositum ipsum aggredi possunt. Sed Plutarchus initio brevem sermonem adiecit, ut pauca exordii verba dicerentur, neve longa oratio statim inciperetur. Tranquillis animis colloquuntur, tranquillitas adesse debet (397 E εἶτα περὶ ὧν βούλει καθ' ἡσυχίαν διαπορήσεις), cum sermo magnus apud Plutarchum habendus est. Quin etiam Boethus qui antea omnia impugnaverat sedatiore animo colloquitur, ipse locum quaestioni aptum laudat. Nam ut per totum dialogum ita hic scaena sermoni accommodatur, cum ad oraculi templum considant. Scaena vel paulo accuratius describitur, praesertim cum non unus ex iis qui tum colloquuntur, sed Philinus praeter sermones enarrandos eam describat (cap. 17). Serapion tum Boethum laudat quod rem quaestione esse dignam concedat neque in contra dicendo perseveret: δεῖ γὰρ μὴ μάχεσθαι πρὸς τὸν θεὸν μηδὲ ἀναιρεῖν μετὰ τῆς μαντικῆς (quam Boethus negaverat) ἅμα τὴν πρόνοιαν (sicut Epicurei faciunt) καὶ τὸ θεῖον, ἀλλὰ τῶν ὑπεναντιοῦσθαι δοκούντων λύσεις ἐπιζητεῖν, Philinusque similia addit. Scaena laudatur et rem esse expediendam exponitur: ad rem tractandam hae sententiae nihil afferunt, sed animus noster paulum praeparatur ad Theonis orationem.

Dehinc Theon princeps (de principatu v. p. 29) per duodecim capita solus perpetua oratione usus, quae facile in singulas partes causasque dirimi potest, omnes causas

explicat quibus factum sit, ut oracula non iam carminibus ederentur. Exit oratio in Delphorum praedicationem, qui nunquam tanto in honore fuerint et tantopere floruerint quantopere Theonis temporibus. Haec Theonis oratio paene eas adaequat quas Fundanus habet (*coh*) vel Plutarchus ipse (*Col*). Quasi magister qui scholam habet, Theon totam materiam proponit; itaque sermonem hunc esse e memoria nostra excideret, nisi id figuris quibusdam et verbis nobis in mentem revocaretur velut 404 B τὰ δὲ νῦν ἐν βραχεῖ μαθόντες διαμνημονεύωμεν, 405 A ἦ γὰρ οὐχ ὁρᾷς ὦ φίλε Διογενιανέ ... 405 D τί οὖν φήσομεν περὶ τῶν παλαιῶν; 408 B τὰ δὲ νῦν πράγματα ἀγαπῶ μὲν ἔγωγε καὶ ἀσπάζομαι, 408 D ἔδει δὲ ἴσως καὶ ἡμᾶς ἔχειν οὕτως, 409 A ὁρᾶτε δήπουθεν αὐτοί.

Principis oratio non interpellatur, itaque ut in aliis libris ita hic verus dialogus ibi tantum exstat, ubi falsae sententiae brevioresque quaestiones disseruntur. Quibus in partibus libelli venustas posita est. Hic vero etiam magis cognoscimus, quomodo Plutarchus contrarias sententias invenerit. Omnes oracula prava esse forma consentiunt, unus (Serapio) formam laudat: ergo non defuit, ut Taciti verbis utar (dialg. de or. 1 $_{19}$), qui diversam quoque partem susciperet. Quod cum apud utrumque et Tacitum et Plutarchum eluceat, ex arte illorum temporum rhetorica depromptum esse puto. Hoc loco Plutarchus id rhetorum praeceptum obscuravit, quod illam partem magna cum diligentia elaboravit, sed paulo post Boethum Serapionis verba invertere dicit.

Varios sermones Plutarchus copulavit; sed cohaerentne inter se? Summa quaestio est de Pythiae oraculis cur prosa oratione edantur. Nimirum haec quaestio iam antea commemoranda erat initio, ut intellegeremus quo dialogus spectaret neve opinaremur Plutarchum nihil nisi Delphorum periegesim sibi proposuisse. Itaque huic rei iam initio tria capita tribuuntur, quot ne omnibus quidem reliquis sermonibus. Quaestio ut dixi ad finem quendam adducitur; fundamentum iactum est, in quo princeps verba

sua collocare potest; postea restat tantum, ut princeps suam sententiam diligenter explicet; res non aliter se habet atque in libro *gen*, ubi falsae sententiae in prima sermonis parte absolvuntur (cap. 10—12). Praeterea illa de prava forma disputatio conectitur cum quaestione de fide oraculorum.

Nam causas cur non versus proferat Pythia, explicare ob eam rem maximi momenti erat Plutarcho, quia multi hac ipsa re commoti de fide oraculorum, qualia eius temporibus edebantur, detrahebant (cap. 17, 402 B: οὗτος γάρ ἐστιν ὁ μάλιστα πρὸς τὴν τοῦ χρηστηρίου πίστιν ἀντιβαίνων λόγος ὡς ...). Itaque antea fides miraculorum et maxime oraculorum — non de oraculo Delphico solo hic agitur — certissimis argumentis restituitur. Fides ergo habenda est illorum quoque temporum oraculis, quamquam prosa oratione proferuntur. Tum Theon eo certius demonstrare potest, cur non iam versus edantur. — Accedunt miraculorum narrationes, quae illorum ortum divinum demonstrant (c. 8). In his partibus sermonum unitatem servatam esse apparet; sed ceteri sermones cum his non cohaerent. Quae quaestiones in unum dialogum cogi poterant, quia et hae res Delphos spectant et Delphicum oraculum defenditur. Plutarchus ergo cum in sermone nostro communi, cuius imaginem dialogus tradat, saepe fiat ut a proposita re digrediantur collocutores, hunc sermonis usum sequitur (p. 69), ut res in dialogum inferat, quas interpretando explanare eius ut sacerdotis Delphici intererat, sive falsae sive nullae explicationes antea exstabant. Optime autem coniunxit sermones, cum omnes deinceps sermones amicis per Delphorum vias proficiscentibus oriri fecerit. —

Ut maximas dialogi partes optime compositas esse cognovimus, ita p e r s o n a r u m „et animi et ingenii velut quandam faciem et imaginem quam maxime perspicuam" nobis a Plutarcho propositam esse expectabimus. Neque haec spes nos fallit. D i o g e n i a n u s ceteros adduxit, ut secum Delphos viserent. Itaque per eum quaestiones

pleraeque proponuntur (cap. 2. 5. 8. 14: φιλομαθής cap. 1), ipse ceteros ad templum considere iubet eumque solum Theon dignatur quem in continua oratione alloquatur (405 A). Saepe laudatur idque maxime initio per Philinum (394 F). Quamquam admodum adulescens est (παῖς semper et νεανίας nominatur 395 E, 397 D, 401 A), tamen bonam indolem praestat, cum ipse ad quaestiones tractandas aliquid afferre possit (cap. 2 sqq., 395 B. E, 396 A. C). De rebus seriis gravibusque serio disputari cupit (cap. 7, 397 D μὴ παῖζε ὦ πρὸς θεῶν). Plutarchus igitur adulescentem eruditum excultum politum describit, qui tantopere laudatur, ut dialogum in eius honorem scriptum esse iure opineris. — Non minus perspicue Serapionis, poetae Atheniensis (396 D) imago delineata est. In omnibus rebus deum sublimem veneratur, cuius auctoritas et fides augustior habenda sit quam ut scrupuli afferri possint (cap. 6. 11.); maiorum pietatem observari vult (cap. 18, 402 E). Quin deum defendens eo usque procedit, ut illius oraculorum verba et formam pulchriora esse ponat quam poetarum (cap. 5), quamquam omnes contra dicunt et ipse carmina non prava illa forma condidit (396 F). Quorum carminum ipse exemplum affert Sibyllam laudans (cap. 9); sicut ea pars Sibyllam describit, ita totum carmen de rebus divinis potius quam de philosophia vera (φιλοσόφως καὶ αὐστηρῶς) conditum esse verisimile est, cum Plutarchus eum non fere loquentem faciat nisi de deo et de oraculo (praeter cap. 14). Pietas eius magis elucet quam doctrina philosophica, quamquam Stoicorum doctrina se imbutum esse saepius ostendit (cap. 6, 397 B ἀπάθεια, cap. 12, 400 A ἀναθυμίασις).

Ut ceteros viros describere omittam, id unum addam viros persaepe sententiis iocose dictis sermonem ornare et excolere (395 B παῖξαι τι πρὸς τοὺς ναυάρχους, 397 B, C sq. μὴ παῖζε, 400 A sq., D ἐπιγελάσας) eosque etiam per simulationem, quam εἰρωνείαν Graeci appellant, alios irridere (396 E, 397 C sq., *398 A*). Simulatio raro a Plutarcho adhibita esse videtur cum ab eius animo placido

abesset, et hic Boethum Epicureum ea utentem facit, qui certe non inter eius familiares erat. Quae figurae sine dubio aliquid valent ad augendam dialogi hilaritatem.

10. De defectu oraculorum.

Fabula in dialogo *def* non maiorem vim habet quam in libro modo tractato: ambulant initio, paulo post considunt. Lamprias et alii cum Cleombroto et Demetrio qui viri docti longis itineribus perfectis ab ultimis terrae finibus Delphos venerant, a templo ad Cnidiorum curiam proficiscuntur, ubi cum aliis amicis ut erat constitutum conveniunt (cap. 6). Nescio cur amici non ab initio omnes una versati sint; fortasse in fabulae modum scaenam frequentare auctor voluit, priusquam in sermones sublimes inciderent aut sermonis vere habiti imaginem depinxit; profecto proposita sic distinxit et definivit. Antea enim de Ammonis Aegyptii lucernis collocuti erant, quae proximo quoque anno minus olei absumerent (cap. 2—4); priusquam cum amicis illi conveniunt, iam nova quaestio exorta est (cap. 5), et is sermo qui de geniis defectuque oraculorum habetur, maximam dialogi partem obtinet (c. 7—52), intermissa autem est alia pars, ubi de mundorum numero disputatur (c. 22—37).

Primus sermo brevis et simplex recta via progreditur: Cleombrotus rem proponit et explicat ita ut apud Aegyptios compererat, Demetrius pauca opponit quae a Cleombroto facile refelluntur (eidem sic occasio datur explicandi aliquid mirae doctrinae quam in Aegypto cognoverat); Ammonius autem Cleombrotum redarguit idque primum circuitione quadam cum demonstrat, quantae eversiones naturae rerum inde efficiantur, si Aegyptiorum narratio vera sit, deinde quod tamen Cleombrotus in sententia perseverat (mensuras vidisse se ipsum dicit) Ammonius directo naturalem quandam rationem demonstrat, qua res illa „abhorrens a fide et insolens“ expediatur.

Non perpetua quisquam oratione dicit, sed obiciuntur et immittuntur ea quae cum vera ratione pugnare videntur (p. 46). Quaecumque ad falsam sententiam pertinent, allata sunt priusquam vera Ammonii ratio diligenter explicatur (inde a p. 411 C). Cleombrotus sicut Boethus convictum se esse non concedit, moleste autem refutationem fert (411 E σιωπῶντος καὶ κάτω βλέποντος).

Lamprias Cleombrotum quem proximis Ammonii verbis irritatum esse videt, ad aliud argumentum adducere studet, ut eius animum placet: μᾶλλον, ἔφην, περὶ τοῦ μαντείου διέλθε ἡμῖν. Cum is taceat Demetrius potius causas quaerendas esse dicit, quibus oraculorum vis ut illic ita in Graecia obscurata vel exstincta sit; qualis transitus in sermonis cotidiani usu exsistit, verum in dialogo qui litteris mandatus sit hunc transitum non laudo, cum proposita parum conexa sint. Conectuntur quaestiones paululum per Cleombroti personam, cum a rebus Aegyptiacis in utroque sermone proficiscantur. Ad hoc dicere licet et in oraculis et in lucernis defectum paulatim fieri. Sed ut Plutarchus de hac propositorum propinquitate cogitaverit, tamen hic conexus est artificiosior quam ut quaestiones revera sic coniungi possint. Quaestionem lucernarum ille tractare volebat, quae cum librum per se non expleret, hoc libro includebatur, praesertim cum utraque quaestione Cleombrotus honore afficeretur.

Tertius sermo (c. 22—37) qui alteri immittitur, paulo artius cum hoc coniunctus esse videtur; nam oritur ex Cleombroti fabula (c. 21) qui ipse hanc aliquid ad Platonem pertinere indicaverat (c. 21 in., 420 E Πλάτων αὐτῷ παρέσχε τὸ ἐνδόσιμον), Heracleo deinde rogat, quomodo mythus ad Platonem pertineat (v. p. 47, 2 c.). Cleombrotus genios in alium mundum se conferre posuerat 421 CD, Plato autem mundorum numerum non esse immensum constituerat. Cum Cleombrotus hanc rem perstrinxisset, non incommodo accidebat, quod pauca de hoc numero dicebantur. Sed num oportebat ob causam tam parvam tantum sermonem moliri? Haec est digressio, ut Lamprias

concedit, cum argumentum valde a proposito recessurum esse dicit (c. 23, 423 B ἀφέντας ἤδη τὸν περὶ χρηστηρίων λόγον . . ., cf. c. 38, 431 A: ἀλλ' ἀνοιστέος ὁ λόγος ἐπὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσιν), hic est conexus artificiosus, imprimis cum postea nusquam genios in alium mundum se convertere commemoretur, etsi deos omnes adire omnes mundos exponitur (c. 30). Itaque verba illa Cleombroti quae initio de Platone fecit a Plutarcho eo consilio addita esse apparet quo facilius hic sermo de mundis insereretur. Quaestionem quam *de E* cap. 11 paucis tractaverat, diligentius illustrare volebat. Et mihi hunc sermonem a Plutarcho propterea insertum esse verisimile est ut Lampriae fratris mortui doctrinam summopere laudaret. Nam summa huius sermonis est Lampriae explicatio et interpretatio doctrinae Platonicae quae longe maximam sermonis partem obtinet (c. 24—30, 32, 34—37). Complures sententiae exponuntur et refelluntur, sed ne princeps quidem Lamprias suam opinionem esse rectam affirmare audet (de quo sermone v. p. 42). Qua assensionis retentione laudata Demetrius statim sermonem refert (431 A ἀνοιστέος ὁ λόγος) ad genios et oraculum.

In priore huius de oraculo sermonis parte ubi variae explicandi rationes demonstrantur (v. p. 41), quaestio iam fere ad finem adducta est. Cleombrotus ceteris persuasisse videtur et id unum restat, ut princeps contentione remota pluribus explicet, quomodo defectus per genios efficiatur. Sed cum geniis maxima culpa defectus tributa esset, fieri vix poterat, quin de geniis ut de re obscura atque mystica, quae semper multa caligine premebatur neque omnes non delectabat, plura statim audire cuperent et quaererent. Imprimis duae quaestiones scrupulos movebant, num mali genii essent et num genii mori possent (cap. 16 sqq.). Illud (malos genios esse) Xenocrates iam posuerat [1]) omnesque eos esse obnoxios passioni docuerant.

1) M. Pohlenz, Vom Zorne Gottes 134 sqq. Heinze, Xenokrates p. 80 sqq.

Sed omnes putaverant quoque genios esse immortales (ἀθάνατοι καὶ ἐμπαθεῖς); Plutarchus igitur si eorum mortem nuntiat, pugnat cum omnibus disciplinis[1]). Itaque Heracleonis interpellatio non modo erat iusta, sed necessaria. Demonstrare autem auctor illud non potest nisi per mythos et fabulas; ei satis est pro demonstratione quod nil impedit quominus sic res se habeat, quamquam Stoici et Epicurei acriter contra dicebant (cap. 19—20). Argumentorum infirmitatem celat Plutarchus eorumque vim augere studet, cum ab omnibus viris illis qui per totam terram profecti erant et quorum unicuique magna fides habenda erat, aliquid addi faciat. Adulescens, qui nondum multa cognoverit, rem in dubitationem vocat (Heracleo ὁ νεανίας c. 16), viri adulti ab initio consentiunt.

Cleombrotus per genios oracula defectumque effici dixerat (c. 15), sed id ante credi non potest quam demonstratum est quomodo genii vim vaticinandi Pythiae iniciant. Itaque nunc Cleombrotus hanc quoque causam postremam sua ratione absolvere debuit, cum Demetrius eam institui probe cupiat (38, 431 A) et ille principis modo in hac re se gerere coeperit. Sed mirum in modum a Cleombroto nemo iam explicationem postulat, immo cum nova quaestione omnino novus sermo instituitur (cf. 431 B ἕτερος λόγος). Nam verba quae antea dicta erant nullo modo respiciuntur neque Cleombrotus quicquam affert, sed Ammonio postquam ipse quaestionem paucis illustravit, tum subito in mentem venit Lampriam paulo ante de hac ipsa re Lebadeae multa collocutum esse[2]). Deinde Lamprias ut princeps solus rem absolvere studet (c. 39—52).

Ammonius esse genios animas circumvagantes dixerat quae nostris animis futura indicarent (c. 38). Qua re con-

1) Pohlenz l. c. 137 sq. (Plutarchus doctrinam quandam Academicam non ita vulgatam secutus esse videtur).

2) c. 38, 431 C: ὡς σοῦ πολλὰ περὶ τούτων ἐν Λεβαδείᾳ ξένοις διαλεχθέντος.

cessa Lamprias, quamquam ab eadem re proficiscitur (431 E), tamen paulo post ad eam explicationem redit, quam initio (c. 9) afferre coeperat[1]) et rerum naturae spiritibusque divinationi servientibus iterum totam culpam attribuit. Ammonius tandem haec non consentire animadvertit et demonstrat, quantae res si Lampriae ratio sola valeret inde concludendae fuerint (c. 46, cf. c. 4, 411 A). Tum Lamprias id agit, ut ambas rationes inter se coniungat (c. 47).

Lamprias sine dubio principatum habet; etsi iuvenis inter viros aetate provectos (c. 47 in. παρ' ἡλικίαν) loquitur, omnes eius auctoritatem comprobant[2]). Sed curavit Plutarchus, ne Ammonii magistri auctoritas nimis obscuraretur. Ammonius Cleombroti sententiam refellit et principatum quendam habet initio (c. 4); Ammonius bis repugnantias detegit (c. 33, 46) quas Lamprias nondum animadvertisse videbatur, sic maiorem et acriorem ingenii vim praestat.

Mirum illud est, nam Plutarchus in nullo alio dialogo in principis verbis, ubi ei continua oratio habenda sit, aut tam saepe repugnantias aut tantas demonstrari sinit. Profecto autem dialogum hoc modo composuit, ne Lamprias iuvenis inter maiores natu nimis excelleret neve aliorum auctoritati detrectaret. Accedit, quod sic argumentorum dispositio facillime ostendi poterat. Nam sicut Lamprias in sermone quem de mundis habent — primo suam ipsius sententiam explicat c. 24—30, postea per Philippum et Ammonium commovetur, ut Platonem interpretari conetur — ipse duas partes esse distinguendas significat, cum in sermone subsistat et taceat (ἐγὼ μὲν οὖν

1) Lamprias c. 9, ut p. 41 exposui, rationem suam non totam explicaverat, sed pauca indicaverat. Itaque ei licebat c. 38 sqq. rem paulo aliter explicare atque antea.

2) c. 9, 414 C; Demetrius c. 23, 423 B εἰ μή τι σὺ λέγεις, Ammonius c. 38, 431 C εἰ μή τι σὺ λέγεις ἕτερον, καὶ γὰρ ἔναγχος . . .

τοσαῦτα εἰπὼν ἐπέσχον 426 E), ita in altero sermone qui de defectu ipso instituitur, duae partes aperte secernuntur; naturalem enim explicandi rationem usque ad caput 44 secutus erat, deinde „summam disputationi imponere“ cupit (c. 46, 434 F βουλόμενος ὥσπερ τι κεφάλαιον ἐπιθεῖναι τῷ λόγῳ . . . καὶ πάλιν ἐπέσχον); sed eum non de geniis cogitavisse apparet, nam per Ammonium ad hanc rem adducitur.

Id est etiam magis mirum quod Lamprias eam quam modo dedit explicationem naturalem ab altera, qua daemones oracula efficere dicebantur, discrepare ipse omnino non sensit et ab Ammonio demum admonitus cognovit, quamquam ut harum rerum peritus nuper de geniis oraculisque iam collocutus erat. Et cur novum sermonem Plutarchus c. 38 ad priorem adnectit? Praeterea in illo priore iam Cleombrotus omnibus persuasit in genios culpam esse conferendam, nunc autem Lampriam unum rem ad finem perducere volunt. Quamquam simili modo Plutarchus etiam *gen* 9, 20 sqq., *Pyth* 5, 17 sqq. procedit, ut primo omnes cum principe quaestionem absolvant, tum alio sermone intermisso unus rem decantet, tamen ea discrepantia intercedit, quod ibi is qui iam antea principatum habuerit loqui iubetur, hic a Lampria sermo postulatur, quamquam antea Cleombrotus principis partes egerat. Ac iubetur de geniis dicere, quamquam antea longe aliam explicationem proferre coeperat!

Quas difficultates ut expediamus, duae quaestiones sunt solvendae. Primum Lampriasne erat vere de geniis collocutus Lebadeae? Aut non locutus erat et haec scaena ab auctore inventa est, aut vere colloquium habuerat quod referre ille voluit. Id quod verisimilius est, cum auctor plerumque facta tradat (cf. *qu*) neque vero hic habuerit, cur hanc scaenam colloquii loco aperte nominato fingeret itaque libri compositionem depravaret. Sed cum haec de geniis doctrina a viro Peripatetico abhorreat, non de geniis, sed de defectu oraculorum locutus esse ibique naturalem explicandi rationem protu-

lisse putandus est[1]). Auctorem autem utut res se habet vituperamus quod librum male composuit, cum c. 38 novus sermo de eadem fere re incipiat et Lamprias postea explicationem proferat, de qua antea non cogitaverit. Commemoravit autem Plutarchus illam Lebadeae scaenam, ut causam afferret, cur Lamprias inde principatum subiret.

Deinde cur tandem repugnantiae exstant? Lampriae cum semper ad naturalem rationem redeat, hanc esse veram persuasum fuisse apparet, id quod mirum non est, cum et Lamprias a Peripato fuerit (*qu* II 2_1) et doctrina prolata illam scholam sapiat (cf. Hirzelium[2]), qui hanc partem ad Dicaearchum refert). Plutarchus ipse plurimam culpam in genios Academicos, cui doctrinae valde deditus erat, conferebat. Fratrem afficere honore hoc libro volebat, sed suam sententiam non omittere; itaque ex diversarum sententiarum copulatione dialogi repugnantiae eveniebant. —

Quicumque viri sermonibus intersunt, omnes fere doctissimi et peritissimi sunt; itaque sermonem alacerrimum fieri oportebat (cf. imprimis c. 16–23, ubi unusquisque aliquid affert). Quodsi inter eos Lampriae primas partes attribuit Plutarchus, fratris exegit monumentum aere perennius.

11. De communibus notitiis.

De libri de comm. not. forma contentio acris exorta est, utrum Plutarchea sit necne. Weissenberger[3]) enim formam a Plutarcho alienissimam esse censebat neque

---

1) Ammonius ipse concedit 431 C: πολλὰ . . . διαλεχθέντος, ὧν οὐδὲν ὁ διηγούμενος ἀκριβῶς διεμνημόνευε.

2) II 192_1. Aliter Schmertosch, De Plutarchi sententiis, quae ad daemonum doctrinam spectant.

3) Die Sprache Plutarchs und die pseudoplutarchischen Schriften. Diss. Würzb. 1895, p. 87.

postea recessit[1]) ab hac sententia, nam Plutarchum sermonis partes inter personas pariter distribuere solere et dicta et responsa celeriter variare, in hoc autem dialogo alterum adulescentem exceptis exordii verbis nihil ad sermonem afferre („dialogischer Charakter völlig verwischt“). At Kolfhaus scripsit (p. 45 sq.): „Sed ut omittam hunc (sc. adulescentem) quinque aliis locis se immiscere sermoni, minime a Plutarcho alienum est, quod sermo oratione perpetua continuatur; exempli causa confer dialogos De tuenda sanitate et De cohibenda ira“.

Diadumenus solus cum adulescente quodam (non Lampria, p. 12_2) colloquitur, Diadumenus totum argumentum decantat; nonnullis autem locis interpellatur. Plutarchum non „dicta et responsa perpetuo variare et mutare“ solere neque sermonis partes pariter distribuere et Kolfhaus recte iudicavit et nos satis cognovimus (*coh*, *san*, *Col*, *vind*), Sed ita potius res se habet, ut princeps nunquam aut raro interpelletur cum dicere coepit. Aliorum verba autem tum potissimum nullo loco intermittuntur, cum unum argumentum unaque sententia de proposito explicanda est, et cum duo homines colloquuntur (*coh*, *san*)[2]). Ergo cum horum dialogorum forma, quos Kolfhaus quoque comparat, nostrum dialogum congruere exspectamus, praesertim cum adulescens doceri cupiat (cap. 1. 3). Sed tum id ipsum nobis scrupulos inicit, quod sermo interpellatur. Itaque nobis considerandum est, quo consilio adulescens verba intermittat.

1) 1066 D (c. 16): quoniam Diadumenus Stoicos docere demonstravit vitiositatem ad multas res utilem esse, ad aliam partem transire vult (ἐπ' ἄλλο τρέπεσθαι); adulescens eum commovet, ut de simili re plura addat; in-

1) Berl. philolg. Woch. 1909 p. 454 in recensione dissertationis, quam Kolhaus scripsit: „Plutarchi de communibus notitiis librum genuinum esse demonstratur“. Marburg 1907.

2) In libro *vind* una sententia profertur (Plutarchi ipsius), sed plures quam duo sermoni intersunt; itaque Plutarchi amici saepius verba intermittunt.

terrogat enim „quomodo Stoici mala bonis et vitia virtutibus prius introducant“. A Diadumeno respondere erat iussus: Diadumenus adducitur, ut rem quam praetermissurus est, diligentius explicet; id est plane e Plutarchi consuetudine (§ 5, 2a p. 47). — Postquam Diadumenus obsequi coepit, adulescens post pauca illius verba statim se illud ex parte ipsum intellegere addit et explicat (1066 E); quam rem ex eius ingenio paulo post explicabimus.

2) 1068 F (c. 22): adulescens ut ad rem plane aliam transeatur efficere videtur: ταῦτα μὲν οὖν ἄφες· ἡ δὲ πολυτίμητος ὠφέλεια τίς ἐστιν; Diadumenus cap. 21 stultos utilitatem accipere non posse dixerat; adulescens ad rem contrariam transiri cupit, quam ille iam perstrinxerat (τὸ μὲν ὠφελεῖν καὶ ὠφελεῖσθαι σοφῶν ἐστι). Ergo etsi adulescens ab altero non admonitus est, tamen id prope accedit ad eas interpellationes quas § 5, 2c (p. 47) descripsimus. Est transitus formula.

3) 1071 B (c. 26): adulescens amicum laudat: ἀνδρικῶς μὲν ἀπομεμνημόνευκας καὶ ὃ λέγουσι καὶ ὡς λέγουσι. Causa laudis additur paucis, cf. § 5, 3c.

4) 1072 B (c. 27): Wyttenbach ea distinxit, sed iniuria adulescentem quaerentem fecisse mihi videtur: Diadumenus Stoicos ad absurdum ducere coepit, qui ignorantes quid bonum sit, bonum assequi studeant. Demonstrationi summam imponere cupit et interrogat quid bonum sit, ipse sibi Stoicorum in modum respondet bonum esse prudentiam, prudentiam autem esse scientiam bonorum; illudit Stoicos. Tum subridens consistit: statim adulescens eum interpellat et se circulum vitiosum iam cognoscere dicit, ille rem amplius ne explicet. Sic interpellatio bella a Diadumeno quodam modo adducta plane expeditur.

5) 1072 E (c. 27): adulescens enuntiatum quoddam non intellegebat, deinde Diadumenus percontando atque interrogando eandem rem illustrat. Erat res difficillima, ita ut Diadumenus ipse id αἴνιγμα appellet. Plutarchus

demonstrationem, quae de finibus, ergo de summa re est, effert, cum eam iterum explicari facit. Nullo loco sic res iterum profertur, sed similiter res se habet atque ubi repugnantiae premuntur, cum ab altero proferuntur (§ 5, 1).

6) 1073 B (c. 28): Diadumenus Stoicos de amore contra communes notitias docere dicit; adulescens cum ita interpellat ut definitionem Stoicam quid sit amor afferat, inde iam sequi censet — id voce γάρ exprimitur — ut Stoici contra notitias peccent. Diadumenus assentitur et rem pluribus circumscribit. Non habebat adulescens, cur definitionem adderet.

7) 1079 B (c. 38): adulescens id unum interrogat: πῶς οὖν ἀμύνονται ταύτας τὰς ἀπορίας; Stoici in summas repugnantias inciderunt; refutatio eo magis premitur quo difficilior est, sed simile quicquam non exstat.

Apparet igitur interpellationum rationem modo consentire cum ceteris dialogis, modo dissentire. Sed haec causa non sufficit, ut formam a Plutarcho esse alienam dicamus, si aliter explicari res potest. Et pauca sunt respicienda. Plutarchum in ethopoeia magnam operam collocavisse vidimus. In libro de quo agitur describit adulescentem, qui a Stoicis vexatus perturbabatur (1059 A), sed vividi ingenii est (1066 E, 1072 B) et optime eruditus; nam ipse diu cum Stoicis pugnavit, dum aufugit (1059 B), et verbis eis quae intermittit, ostendit se doctrinam Stoicam non ignorare (cap. 3. 16. 26. 27. 28); haec adulescentis descriptio ex consilio auctoris est, nam Stoicos plenos esse repugnantiarum intellegere non potest nisi is qui doctrinam eorum cognovit. Qualem eum esse ut ostenderet, Plutarchus adulescentem nonnulla verba adicientem fecit (cap. 16. 22. 27. 28).

Praeterea auctoris consilium Stoicorum refellendorum adiuvatur. Nam si adulescens paucis verbis prolatis iam Stoicos secum ipsos pugnare sentit, repugnantia tam est manifesta, ut eo magis mirandum sit Stoicos illa docere (1066 E, 1068 F, 1072 B). Sin autem adulescens primo obtutu Stoicorum vitia nondum intellegebat, Stoicos non

facile esse reiciendos declaratur; quod si auctor tamen eos refellere valet, laudat suum ingenium et id gloriatur (1072 E, 1079 B). Interpellationes igitur partim cum Plutarchi ratione consentiunt, partim ex auctoris consilio facillime expediuntur. Itaque non iam est, cur huius dialogi formam miremur; auctori libertatem concedamus, nam non aequum est postulare, ut eandem normam semper sequatur. Sed utrum dialogus sit vere Plutarcheus necne, id ex argumento, non ex forma est demonstrandum, id quod non est huius operis.

Argumentum.

Corrigenda:

S. 5 Zeile 6 von oben: prooemium für proemium.
S. 9 „ 4 „ „ : addidit für adddidit.
S. 36 „ 2 „ „ : princeps für qrinceps.
S. 38 „ 1 von unten: est für cet.
S. 38 „ 10 „ „ : Nunc für Nun.
S. 39 „ 12 „ „ : multis für multris.
S. 55 „ 5 „ „ : ordine für ordini.
S. 56 „ 1 „ oben: ad für ab.

Vita.

Natus sum Carolus Hermannus Kahle Stadae in oppido Hannoverano a. d. IV. Non. Iun. anni 1888 patre Hermanno matre Margaretha e gente Koch, qui nunc prope Stadam in oppidulo cui nomen est Horneburg habitant. Inde ab anno 1899 gymnasium regium Stadense frequentavi, unde anno 1906 maturitatis examine absoluto Gottingam me contuli, ut in hac clara philologorum sede litteris Graecis atque Latinis me dederem. Gottingae per unum annum, deinde Tubingae per idem tempus, Berolinae per sex menses versatus iterum almam matrem Gottingensem petivi, ubi studiis summam imponerem et mense Novembri proximi anni 1910 examen pro facultate docendi absolvi.

Docuerunt me praeter alios viri doctissimi Brandi, Busolt, Delbrück, Diels, Gundermann, Harnack, Körte, Kékulé v. Stradonitz, Kielhorn, M. Lehmann, Lehmann-Haupt, Leo, Mewaldt, Norden, Pohlenz, Schmid, Schwabe, Schwartz, Viertel, Wackernagel, Wellhausen, Wendland, v. Wilamowitz-Moellendorff. Seminarii regii philologici Gottingensis sodalis fui per ter sex menses, antea Tubingensis per bis sex menses; admiserunt me exercitationibus historicis Busolt et Lehmann-Haupt, archaeologicis Kékulé v. Stradonitz et Schwabe. Quibus viris quid debeam nunquam obliviscar, maximas autem gratias Pohlenzio semper habebo qui me in hac dissertatione perficienda summopere adiuverit.